C.40

Digitized by Google

Digitized by Google

DE SC. MACEDONIANO,

SEU DE FILIOFAM.

MUTUANTE, TRACTATUS NOVUS, AC METHODICUS, CELEBRIORIBUS QUÆSTIONIBUS, ET SELECTIS LEGUM INTERPRETATIONIBUS ILLUSTRATUS,

Necnon XXII. Capitibus comprehenſus.

AUCTORE

FEL. JOS. JAIME J. U. D.

ET AMPLISSIMO JURISCONSULTORUM TAURINENSIS ATHENÆI COLLEGIO ADSCRIPTO.

AUGUSTÆ TAURINORUM, MDCCLV.

EX TYPOGRAPHIA REGIA.

Digitized by Google

FELIX JOSEPH JAIME.

LECTORI BENEVOLO S.

SI quam libenter, ac ſtudioſe ſcribere aggreſſus ſum, & niſi valde me amo, neque temere ſuſceptum, neque imperite omnino deductum opus exegi, tam feliciter tibi placere, teque ſuffragantem habere poſſem, Lector Optime, nullus certe, ingenue dico, uberior laboris mei fructus mihi contingeret; Hoc enim potiſſimum mihi ſcribendi propoſitum fuit, quum in SC. Macedoniano explicando mihi elaborandum putavi, quam elucubrationem, amicorum hortationibus adductus, facile nunc patior in lucem prodire. Equidem noveram rei difficultates, quæ in hac Provincia utcumque exigua nec leves ſunt, nec infrequentes; noveram etiam quantæ doctrinæ ſupellectile, quibuſve adjumentis eos paratos eſſe oporteat, qui ſcribunt; Vicit tamen amor, quo in juriſprudentiæ ſtudia feror, ipſam virium tenuitatem; Imo poſt tot, tantaſque Virorum Doctiſſimorum curas, atque lucubrationes,

mihi aliquid adhuc ſupereſſe credidi, in quo mea induſtria collocaretur, quodque non tam ad inanem gloriolam captandam, quam ad promovenda ſtudioſæ juventutis commoda in vulgus proferre poſſem. Illud quippe omni ope conatus ſum efficere, ut ſcripta mea, ſi nullam aliam ob cauſſam in pretio ſint, hoc ſaltem nomine a ſtudioſis adoleſcentibus non negligantur, quod qualem qualem ipſis ſint utilitatem allatura. At dices, me rem ex alienis dictatis ſumſiſſe: non inficior, nec quod ipſe feci, magnopere prædico; Sed etiam ſi qua meditatus ego fuero aliis indicta, & ſi quæ alii ſcripſerint ante me, ego quoque cogitando illa compoſuerim, vel aliis ſententiis explicaverim, vel in novam methodum, novaſque formas redegerim, mihi, non aliis, tribui volo: nam nimium ſeveri, & iniquioris judicis eſſet, quæ noſtro labore parta ſunt, aliis adjudicare, quia ante nos fuerint, eaque conſcribere olim cœperint, de quibus & nos hodie ſcripturi ſumus. Itaque optarem eos potius mihi Lectores obtingere, qui primis conatibus faveant, qui aliqua etiam cum collaudatione ſuppleant id, quod forte me defecerit, ut Neſtor Diomedem ſuaviter reprehendebat apud Homerum *Iliad.* 1. 55.

Sane

Sane hunc ſermonem nemo culpabit Achivum.
Nec dicet contra, ſed non oratio fine
Eſt abs te concluſa ſuo, non omnia dixti,
Es Juvenis tamen, & poſſes mihi filius eſſe.

Siquidem nulla re magis ad ſolidiorem ſcientiam, & laudem comparandam ſcribentis animus invitari, & allici poteſt, quam ſi quæ ipſe fecerit, prima ſtudiorum ſuorum experimenta benigne excipi, & publice probari cognoverit.

Quo autem utilior hic meus labor foret (utinam vero tam utilis ſit aliis, quam a me uno obſequendi amicis deſiderio ſine ulla ambitione ſuſceptus eſt) ita in SC. enarratione verſatus ſum, ut res omnes ad puriora Rom. Juris principia, ac regulas, quoad fieri potuit, exegerim; notabiliores factorum ſeries in hoc titulo occurrentes ſparſim, prout res poſtulabat, expoſuerim, dubias, ac controverſas leges pleniore diſquiſitione adhibita illuſtrare, conciliare, atque ab objectis vindicare tentaverim. Ordinem vero quod ſpectat adeo Juſtiniano commendatum in *Nov.* 31. *in præf.* hunc velut commodiorem tenendum eſſe exiſtimari, ut primum de origine, & nomine

mine SC. ſollicitus fuerim, dein prohibitione, & pœna ab eo inflicta diligenter expenſis, exceptiones poſtremo SC. ſubjecerim. Interim, Lector Humaniſſime, hunc primum induſtriæ meæ fœtum eo, quo tibi offertur, animo ſuſcipito: ſi alicubi lapſus ſum, calamum ſumito, ut expungas; vel potius, quæ tua benignitas erit, hominem ſemper diſcendi cupidum, & fortaſſe majora aliquando tentaturum admoneas, corrigas, Vale. Auguſt. Taurin. prid. Kal. April. Anno MDCCLV.

INDEX

INDEX CAPITUM,

QUÆ HOC LIBRO CONTINENTUR.

CAP. I. DE *Origine SC. Macedoniani, ejuſque nomine.* pag. 1
II. *De prohibitione SC. Macedoniani.* 17
III. *De filiofam., & filiafam., Nepotibus, & deinceps cæteris deſcendentibus.* 23
IV. *De filiofamilias in dignitate conſtituto.* 32
V. *Cur Senatusconſultum Macedonianum ad mutuum tantum ſpectet?* 38
VI. *Oſtenditur ſolius pecuniæ numerationem prohibitione Senatusconſulti Macedoniani comprehendi.* 44
VII. *An Senatusconſultum offendat, qui mutuum gratis, ideſt ſine uſuris, filiofamilias dederit?* 50
VIII. *Quid ſibi velint ea Senatusconſulti verba,* incertis nominibus, *ab Ulpiano relata in l. 1. h. tit., eaque alia,* ne quid amplius diceretur? 54
IX. *De pœna Senatusconſulti Macedoniani* 61
X. *Quomodo exaudienda ſint ea Senatusconſulti verba:* ne actio petitioque daretur *l. 1. h. tit.?* 64
XI. *Quibus competat Macedoniani Senatusconſulti exceptio?* 69

XII.

XII. *De natura exceptionis Macedoniani Senatusconſulti, & quo tempore proponi debeat.* pag. 79
XIII. *An Senatusconſulti Macedoniani beneficio illæſa conſcientia uti liceat?* 85
XIV. *De exceptionibus Senatusconſulti Macedoniani.* 95
XV. *De filiofamilias, qui debitum agnovit.* 101
XVI. *De filiofamilias, qui quum adhuc in poteſtate eſſet, debitum ſolvit: conciliata l. 9. §. 1. h. tit. cum l. 14. de reb. cred.* 108
XVII. *De eo, qui ſui juris factus per errorem debitum agnovit.* 116
XVIII. *De patre, qui mutuum a filiofamilias acceptum agnovit, vel illi mutuum accipienti conſenſit.* 121
XIX. *Quid ſi pater ſcit, & patitur filium mutuum accipere?* 128
XX. *De Verſione in rem patris.* 131
XXI. *De eo, qui filiumfamilias pro patrefamilias accepit, & ad l. 3. h. tit.* 141
XXII. *De filiofamilias Senatusconſulti Beneficio renunciante.* 148

CAPUT

CAPUT I.

De Origine SC. Macedoniani, ejuſque nomine.

SUMMARIUM.

1. *Refertur diſſidium inter Tacitum, & Suetonium quoad originem Macedoniani SC.*
2. *Cujacii, aliorumve ſententia circa hanc originem.*
3. *Petri Fabri obſerv. lib. 1. ſemeſtrium c. ult.*
4. *Auctoris verbum ſuaſorem ſignificat.*
5. *Auctoris nomen ab auctionibus derivatum.*
6. *Auctor legis quis dicatur?*
7. *Conciliandi ratio.*
8. *Contra Feneratores jamdudum latas leges fuiſſe.*
9. *Memorabile factum de Pericle a Plutarcho relatum.*
10. *Si quis filiumf. in popinam induxerit, ut alea luderet, patri actio injuriarum datur.*
11. *Elegans Terentii locus in Phormione ac. 2. ſcen. 1. v. 72.*
12. *Lex Lætoria circumſcriptis adoleſcentibus opem tulit, quo alludit Plautus in Pſeudolo ac. 5. ſcen. 3. v. 25.*
13. *Lætoriam legem adoleſcentes tantum reſpexiſſe, non filiosf.*

14. *Claudius nova lege lata feneratorum nequitiam compeſcuit.*
15. *Macedonis malitia, ac improbitas.*
16. *An verum ſit, quod nonnulli Interpp. tradunt, Macedonem ita demum pecuniam ſub fenore credidiſſe filiisf., ut ea poſt mortem Patris demum ſolveretur.*
17. *Veſpaſianus feneratorum audaciæ debitum finem impoſuit.*
18. *Veſpaſiani legem eſſe SC. Macedonianum.*
19. *SC. Macedonianum, a Claudio latum, repetitum forte a Veſpaſiano.*
20. *Simile exemplum de SC. Claudiano.*
21. *Macedoniani nomen a quodam Macedone dictum, qui ei nequitia ſua cauſam præbuit.*
22. *Quis iſte Macedo fuerit, ignoratur.*
23. *Reprobatur Theophili ſententia.*
24. *Confirmatur exemplis leges quandoque appellari ab iis, qui illis nequitia ſua cauſam dederunt.*
25. *Referuntur verba SC.*
26. *Traditur diviſio.*

SA-

SAluberrimum hocce SC., quod non modo adoleſcentum licentiæ frænum injecit, & fœneratorum audaciam, ſævitiamque coërcuit, ſed & infeliciſſimorum parentum vitam operæ pretio ſatis juſto in tuto ponere ſtuduit, pro viribus meis expoſiturus, ac, ni multum erro, illuſtraturus, nobili hac cura ſcribendi initio ſollicitari videor, ut genuinam illius originem felici, ubi liceat, exitu aperiam. Quod ſtudii genus non modo Interpretibus noſtris ſaltem cultioribus familiare eſt, ſed etiam aliis doctis viris, qui antiquarum rerum eruditione delectantur, perjucundum. Diſputandi occaſionem præbent duo Veterum teſtimonia, quorum alioqui gravitas ſumma eſt, & auctoritas quidem maxima. Tacitus videlicet lib. 11. Annal. c. 13. Claudium hujus SC. Auctorem agnoſcere videtur, dum inquit: *Claudius lege lata ſævitiam creditorum coërcuit, ne in mortem parentum pecunias fenori darent*. Suetonius Veſpaſiano adſcribit in ejus vita c. 11. his verbis: *Auctor Senatui fuit decernendi, ut filiorumf. feneratoribus exigendi jus crediti unquam eſſet, ideſt ne poſt patrum quidem mortem*. Jacobus Cujacius (quo ſolo nomine vetus juriſprudentia, atque omnes bonæ li- 2
teræ, quæ barbarie, tamquam ærugine, diu

obductæ fuerant,emergere ſe, ac recreari mihi videntur) & plerique alii magni nominis viri nulli certo auctori hanc laudem tribuere voluerunt . Neſcio , an quis veniam mihi daturus ſit , ſi quod ſentio de hoc diſſidio, libere proferam . Mihi vero ſummopere ſemper placuit elegans P. Fabri obſervatio *lib.* 1.
3 *Semeſtrium c. ult.*: Veſpaſianum nempe ſub Claudio Conſulatum geſſiſſe duobus noviſſimis anni menſibus *Sueton. in Veſpaſ. c.* 4. : Utrumque igitur haud abſque veri ſpecie adfirmari poteſt , Claudio hoc SC. tribuendum eſſe, & Veſpaſiano : illi tamquam Principi, huic tamquam Conſuli ad Senatum referenti, quum jus referendi tum penes Conſules fuiſſe conſtet *Gell. lib.* 4. *noct. Attic. c.* 10. *Varro lib.* 14. *c.* 7. Quæ conciliandi ratio , ſi meæ
4 conjecturæ ſit locus , ex ipſomet Suetonii Capite colligi poteſt : Auctoris enim verbum, quo ipſe utitur , dum SC. Veſpaſiano tribuit, perſuaſorem ſignificat , ideſt eum , qui ſuadendo inducit , quive ejus ſententiæ , quam perſuaſit , Auctor , non perſuaſor appellari ſolet *Cic. lib.* 3. *Offic.* ; ibi : *atque hujus deditionis ipſe Poſthumius , qui dedebatur, ſuaſor, & auctor fuit* : Quod Laurentius Valla *lib.* 5. *elegantiarum c.* 30. ita exaudit , quaſi dixiſſet *ſuaſor* , *& perſuaſor* . Siquidem deri-
5 vatum eſt auctoris vocabulum , ut veteres

Gram-

Grammatici notant, ab auctionibus, in quibus ei, qui plurimum auget, res addicitur, & cui propter hanc ſummam auctionem, & licitationem facta addictione, jus, & auctoritas quærebatur, ita ut quum quæreretur ex eo, qui rem acceperat, unde jus ſibi in eam comparaſſet, ſuum illum quaſi Auctorem nominaret, qui ſibi ſuam auctoritatem tradidiſſet, ſenſim dein in eos quoque conſuetudine ſermonis translatum eſt, quorum ſententiam, & conſilium ſequimur, quaſi jus quoddam ita ſentiendi certum, & conſtitutum haberent. Nam e. c. quum inſtitutum eſt, ut legum, quæ Comitiis Centuriatis ferrentur, ante initum ſuffragium patres auctores fierent, ideſt, ut SC. prius aliquid decerneretur, poſtea illud idem a populo juberetur, ea lex eam vim habebat, ut quaſi in evictionibus, poſſeſſionumve controverſiis poſſeſſor ſuum auctorem, a quo jus ſuum adeptus eſt, laudat; ita populus conſilii ſui auctorem, ac ſuaſorem Senatum laudare poſſet. Unde colligitur auctorem legis eum fuiſſe adpellatum, qui quum ea di- 6
gnitate præditus eſſet, ut ejus oratione populus commoveri poſſet, ab iis, qui leges ferebant, deligebatur, ut eas ſuaderet, & populo probaret. Hinc idem Cicero in Bruto: *ipſe etiam Piſo & cauſſas egit, & multarum*

legum aut auctor, aut diſſuaſor fuit, & lib. 3. de legib. *itaque iſti rationi*, inquit, *neque lator quiſquam eſt inventus, nec auctor unquam bonus*, ubi quum auctoris verbum diſſuaſori, aut latori opponatur, ſuaſorem indubitanter,
7 ac neceſſario ſignificat. Sic itaque rem eſſe opinor: Veſpaſianus, dum Conſul eſſet, Claudio Imperatori perſuaſit, ut ſævitiam creditorum vindicaret, Claudius perſuaſus eſt, & legem tulit, *ne in mortem parentum pecunias fœnori darent*. Qui vero huic obſervationi non adquieſcit, is paullo altius rem repetat, atque hujus juris quemdam veluti progreſſum animadvertat neceſſe eſt: Etenim jam-
8 dudum contra feneratores filiorumf. latas leges fuiſſe compertum habeo. Id primum apud Athenienſes, ex quorum legibus in magnam partem jus civile Romanorum dimanavit, luculenter comprobat memorabile factum a Plutarcho relatum de Pericle ſum-
9 mo illo Oratore, & Imperatore Athenienſium, cui Xantippus filius fuit contumax, inverecundus, ac prodigus: Is quia Iſandri filiam duxerat, neque ideo tamen majores ei ſumtus a patre ſuppeditarentur, ab amico, ac familiari patris ſub paterno nomine pecuniam mutuam accepit; hæc quum a Pericle exigeretur, tantum abeſt, ut vellet ſolvere, ut contra creditorem in jus prop-

terea

terea vocaverit, quod filio in ſua poteſtate conſtituto luxuriæ, & incontinentiæ fomitem præſtitiſſet, hoc eſt pecuniam ſe inſcio credidiſſet, itaque non modo perdituro dediſſet, ſed credendo filium perdidiſſet alienum. Quis dixerit tantum Oratorem hanc actionem inſtituiſſe, ſi non aliquid ſimile jam eo tempore Athenis vetitum erat, quod poſtmodum Romæ, ſub Claudii, aut Veſpaſiani ævo, lege fuerit comprehenſum? Sane quod Plutarchus ait hujus controverſiæ cauſſa exaſperatum eſſe adoleſcentem adverſus patrem, tacite indicat creditorem judicio ſuperatum injuriarum damnatum fuiſſe; Nam ſi quis filium licet conſentientem in popinam duxerit, induxerit, ut alea luderet, patri injuriarum actionem dari reſpondet Paullus *lib.* 19. *ad Sabinum*; Ergo multo magis, ſi luxurioſo pecuniam 10
dederit: Quandoquidem ſi Pericles ſola ſe exceptione tueri voluiſſet, nihil erat cauſſæ, cur creditorem ultra laceſſeret. Non ſolum autem Athenis, ſed & Romæ longe ante Claudii, & Veſpaſiani tempora ſimile jus obtinuiſſe colligitur ex Terentio in Phormione 11
ac. 2. *ſcen.* 1. *v.* 72. ubi Demipho ſenex Getam ſervum fortiter increpat, quod is, ſe abſente, Antiphoni filio, quem illi abſens commendaverat, Auctor fuerit, ut uxorem duceret, quod tamen vitare facile potuiſſet

ſenore ſumendo pecuniam, dotemve puellæ dando, ut alium ſibi virum quæreret (lex erat Athenis, ut orbas puellas qui eis eſſent genere proximi, ducere, aut, ſi id recuſarent, dotem eis dare cogerentur *Plutarchus in vita Solonis*) cui ſervus reſpondet: *Hui dixti pulchre, ſi quidem quiſquam crederet te vivo.* Certe hic metus vanus omnino fuiſſet, ubi filiof. tuto per leges credi licuiſſet. Terentii auctoritati accedit Cicero *lib.* 3. *offic. c.* 15.
12 Qui lege Laetoria ſane antiquiſſima circumſcriptis adoleſcentibus ſuccurſum fuiſſe ſcribit, & fraudes verſutorum hominum reſciſſas, qui lucrum ex aliena imbecillitate captabant: cujuſmodi ſunt improbi feneratores, qui lucra ſua aliena damna arbitrantur, & diſpendio ſuo deputant quidquid ab aliis poſſidetur, ut inquit *Ambroſius de Tobia c.* 6.: Quo & Plautum alludere dixeris in Pſeudolo *ac.* 5. *ſcen.* 3. *v.* 25., dum ibi Calidorus adoleſcens *perii*, inquit, *annon tum lex me perdit quina vicenaria? metuunt credere omnes*. Unde ſatis aperte elicitur per legem Laetoriam quinam vicenariam dictam, quia minoribus 25. annis opem ferebat, perimi actionem creditorum adverſus adoleſcentes, qua re eis credere metuebant. Equidem non adeo hoſpites ſumus, qui non intelligamus eam legem
13 adoleſcentes tantum reſpexiſſe 25. annis minores,

nores,

nores, non filioſf.; ſed ſi ubi de adoleſcentibus agebatur, eorum imbecillitati proſpectum fuit, vix credere poſſumus Romanos, qui in rebus etiam leviſſimis accuratiſſimi erant, nihil de filiiſf. cogitaſſe, quo ipſis etiam conſuleretur, in quibus imo urgentior erat proſpiciendi ratio, tum ob proprium ipſorum damnum, & triſtem exitum, qui eos poſt diſperſum expectaret patrimonium *arg. l.* 8. §. 5. *v. melius C. de bon.*, *quæ lib.*, tum etiam ob parentum periculum, quod eorum vitæ filiiſam. ob æris alieni impatientiam ſtruere poterant. Hæc conjectura, etſi alio teſtimonio deficeremur, ſatis evinceret Romanos jam ante Claudium, & Flavium caviſſe, aut ſaltem cavere debuiſſe, ne filiiſf. pecuniam fœnori dare liceret. Verumtamen leges ejuſmodi, licet optimæ, fœneratorum calliditate paullatim officium ſuum perdiderunt: Nam illi mutuum dabant, & cauſſam, in quam darent, non exprimebant, ne quando filioſf. ad ſolutionem compellerent, conſtaret in luxuriem, aut alias turpes cauſſas verſam fuiſſe pecuniam, diemve ſolutionis in tempus paternæ mortis conferebant, unde eveniebat ſæpe, ut filiiſam. ad violentas manus parentibus injiciendas inſtigarentur. Huic malo in dies gliſcenti provido ſane conſilio occurrit Claudius, dum nova lege lata fenera-

14 neratorum nequitiam compeſcuit, ſpemque
creditum ſuum conſequendi ipſis plane præ-
cidit; qua lege quamvis nominatim in ca-
ſum mortis parentum pecuniam mutuam
filiisf. dare prohiberetur, mens tamen legis,
ni male judico, ad eam quoque pecuniam
pertinebat, quæ ad certum, ac determina-
tum tempus fœnori data foret. Sed ſicut
malitia tamquam multis hamis prædita pri-
vis ab ipſa dependentibus affectionibus hinc
inde varie in ſe ſe implicatur, atque com-
mittitur, quæ morborum modo una alterius
inflammatione excitantur, ut inquit *Plutar-
chus de invidia, & odio*, ita eo tandem ven-
tum eſt, ut Macedo quidam homo ſummæ
15 improbitatis, ac verſutiſſimus modum inve-
nerit, quo filiisfam. iterum pecuniam ſup-
peditaret, ſed iterum more feneratoribus
conſueto, nulla adjecta cauſſa, in quam pe-
cuniam dediſſet, nec ſolutionis tempore ad-
dito, ne fœnus illicitum exercuiſſe, aut Clau-
dii legi fraudem feciſſe videretur, quum
alioqui ſolutione in infinitum terminum col-
lata, ipſi quoque poſt mortem patris repe-
tendi facultas competeret. Quod enim In-
terpretes tradunt Macedonem non aliter pe-
16 cuniam filiisfam. ſub fœnore credidiſſe, quam
ut ea poſt patris demum mortem ſolveretur,
neutiquam dignum eſt, quod credatur. Quis
namque

namque tam hebes foret, qui ea lege nominatim adjecta filiofam. crederet, ſibique exigendæ ab eo ſolutionis etiam vivo patre, ſi id aliquo modo fieri poſſet, viam præcluderet? Id profecto non malitiæ, quo in genere Macedo excellebat, ſed ſimplicitati tribuendum fuiſſet, nec video, qua ratione æris alieni impatientia filiumf. adeo compellere poſſet, ut mortem patris maturaret, quo vivo adverſus creditorum moleſtias tutum ſe eſſe intelligeret: Neſtoreos annos potius patri optare deberet, ne ipſe a creditoribus inquietaretur. Hinc propterea rurſus fiebat, ut filiif. ob aſſiduam ſolutionis flagitationem irritati, & uſurarum onere preſſi, quod protracta fortaſſe in longius tempus parentum vita in immenſam fere quantitatem excurrebat, rurſus occaſionem arriperent parentibus inſidiandi, eorumque funus promittendi, ut cum Juvenali loquar *ſat.* 3., adeoque opus erat, ut obviam iretur ſceleratorum hominum fraudibus, quæ ſæpius repreſſæ miras per artes ſuſcitabantur, atque huic tam exitiali vitio efficacius remedium adferri omnino oportebat, ut demum funditus e Rep. tolleretur. Ergo Veſpaſianus Imper. Domitiano II., & M. Valerio Meſſalino CSS. legem tulit, qua feneratorum audaciæ, 17
nequitiæve debitus finis impoſitus eſt, quam non

non tam legem novam dixeris, quam veterum conſtitutionum renovationem, declarationem, atque extenſionem: nam quæ ſub Claudio cœperat prohibitio, ne creditores filiisfam. in mortem parentum pecunias fœnori darent, veroſimile eſt complementum
18 accepiſſe ſub Veſpaſiano. Hanc autem legem noſtrum SC. eſſe mihi perſuadeo; an & aliis poſſim, in poſterum experiar. De-
19 nique illud addi etiam poſſet, Macedonianum SC. ad Claudii quidem tempora referendum eſſe, ſed ob creditorum calliditatem, & temporum licentiam paullatim deſuetudine inumbratum, iterum a Veſpaſiano in uſum revocatum fuiſſe, forte & aſperatum, quæ Torrentii ſententia eſt ad *Suetonium d. loc.*; Siquidem inauditum non eſt, ut jura illi quandoque adſcribantur, qui ea in deſuetudinem redacta reſtituerint, ut luculente probat Brummerus ad *l. Cinciam c.* 3., cujus
20 rei ſimile exemplum eſt in SC. Claudiano de muliere, quæ ſe alieno ſervo junxiſſet, lato; Nam & illud Tacitus Claudio tribuit *lib.* 12. *Annal. c.* 53., Suetonius Veſpaſiano *in vita ejus c.* 2. Hanc vero litem dirimunt Lypſius, aliique quamplurimi, dum quod ſub Claudio cautum, coniiciunt repetitum eſſe ſub Veſpaſiano.

Intel-

Intellecta, ac, ni multum fallor, illuſtrata SC. origine, de ejus nomine videndum, qua in re illud primo notandum eſt, Romano more ita receptum, ut leges, & SC. a ſuis auctoribus nomen acciperent, ideſt ab eo Conſule primo, quo in Senatu referente SC. in ejus ſententiam fiebat: Cedo exempla Trebelliani, Pegaſiani, Tertylliani, Orphiciani, aliorumque, in omnibus idem obſervatum reperies. Macedoniani vero SC. appellatio a quodam Macedone deſcendit, 21
qui ei multiplici ſcelere cauſſam præſtitit *Ulp. l.* 1. *h. t.* Quis autem iſte Macedo fuerit, res eſt tanta caligine involuta, ut ni- 22
hil certi adfirmare audeam. Equidem Plinius *lib.* 3. *Epiſt.* 14. quemdam memorat Largium Macedonem libertino patre natum, & prætoriis inſignibus decoratum, eumque refert tam immanem fuiſſe in ſervos, ut in Villa Formiana ab ipſis in balneo cæſus obierit. Aſt nemo adſeveranter pronunciabit hunc Macedonem eſſe, qui cauſſam præbuit SC., quum ille inter cæteras ſceleris cauſſas, quas ei mala, & in nequitiam pronior natura adminiſtrabat, etiam adhibito ære alieno peccandi materiam malis moribus præſtaret *d. l.* 1. *h. t.*, præterquamquod eum occiſum fuiſſe haud conſtat. Minus probo Theo- 23
phili ſententiam exiſtimantis Macedonem adole-

adoleſcentem fuiſſe luxuriosſum, & prodigum, qui ære alieno gravatus, quum non haberet, quo ſe liberaret, in parentis annos feſtinaſſe dicitur, & parricidii damnatus, re ad Senatum relata, huic Conſulto occaſionem dedit, nomenque fecit; Nam quis, Deus bone, hoc illi in ſomniis revelavit? Annon Ulpianus in *cit. l.* 1. apertiſſime oſtendit verba Senatus referens Macedonem improbum feneratorem fuiſſe, qui quum Romæ pecuniam, *ne quid amplius diceretur*, incertis nominibus crederet, cauſſam præbuit SC.? Quid reponet Theophilus? ea nimirum verba *etiam æs alienum adhibuiſſet* non ad feneratorem, qui crediſſet, ſed ad Macedonem quaſi debitorem pertinere, eo quod æs alienum illud proprie dicatur, quod nos aliis debemus *l.* 213. §. 1. *de v. ſign.* At velim ab eo intelligere, ad quem hæc alia verba: *qui pecuniam incertis nominibus crederet*, præterquam ad Macedonem creditorem referre velit, quum hæc uno ſpiritu cum ſuperioribus illis conjungantur, atque poſtremis SC. verbis palam de feneratoribus conceptis apprime reſpondeant. Illud ad ſummum graviſſimo Interpreti concedi poſſet, Macedonem æs alienum adhibuiſſe, & rurſus pecuniam mutuo acceptam uſurarum fortaſſe dulcedine illectum incertis nominibus

bus credidiſſe; quum enim multorum ſce-
lerum arguatur reus, quorum cauſſam na-
tura illi adminiſtrabat, haud difficile cre-
ditu eſt eum hoc quoque malitiæ genus
exercuiſſe. Nec novum cuipiam videri de-
bet hoc SC. ab eo nuncupari, qui ei ne-
quitia ſua cauſſam dedit. Res enim exem- 24
plo non caret: Sic Scantinium Aricinum
Tribunum plebis, cui M. Marcellus Ædilis
Curulis diem ad Populum dixit, quod filium
ſuum de ſtupro appellaſſet *Val. Max. lib. 6. me-
morab. c. 1. n. 7.*, Legi Scantiniæ, qua in-
genuorum adoleſcentum corruptores, ipſique
ſponte corrupti adoleſcentes decem millibus
nummum damnabantur, & Carphaniam
quamdam audaciſſimam, atque improbiſſimam
fœminam, quæ inverecunde poſtulans ma-
giſtratum inquietabat univerſum, edicto de
poſtulando occaſionem, & nomen dediſſe
erudita dudum ingenia obſervarunt, & pro-
bat Ulp. in *l. 1. §. 5. de poſtul.* Sed jam
ſatis de origine SC. & nomine: age: inter-
pretationem adgrediamur.

Verba SC. Macedoniani ab Ulp. relata hæc
ſunt: *Quum inter cæteras ſceleris cauſſas Ma-
cedo, quas illi natura adminiſtrabat, etiam* 25
*æs alienum adhibuiſſet, & ſæpe materiam
peccandi malis moribus præſtaret, qui pecuniam
(ne quid amplius diceretur) incertis nomini-
bus*

bus

bus crederet : placere , ne cui , qui filiofam. mutuam pecuniam dediſſet , etiam poſt mortem parentis ejus , cujus in poteſtate fuiſſet , actio, petitioque daretur , ut ſcirent , qui peſſimo exemplo fenerarent , nullius poſſe filiifam. bonum nomen expectata patris morte fieri l. 1. *h. t.* Duabus ergo partibus , ut cæteræ bonæ
16 leges, conſtat hoc SC., nempe prohibitione, & pœna , dum & mutuam pecuniam prohibet dari filiofam. ; & pœnam ſtatuit , ſi contra factum ſit . Utraque pars ſuis obſervationibus exornabitur , dein SC. exceptiones ſubjicientur.

CAPUT

CAPUT II.

De prohibitione SC. Macedoniani.

SUMMARIUM.

1. *SC. Macedonianum prohibet, ne quis mutuum det.*
2. *Verbum* quis *generale eſt.*
3. *An* Civitas, *& Reſp. mutui datione obligentur?*
4. *Si adminiſtrator juſſu Civitatis pecuniam mutuam ſumſerit, obligatur Civitas, etſi pecunia in rem Civitatis non ſit verſa.*
5. *Quid, ſi ſine mandato Civitatis?*
6. *Reſp. & Civitas minorum jure utuntur.*
7. *Minores non tenentur ex mutuo per Curatores contracto, niſi pecunia in rem ipſorum verſa ſit.*
8. *Ubi Civitas per ſe ipſam mutuum accepit, reſtitutio in integrum ei non denegatur.*
9. *Quid, ſi pecunia non eſt verſa in rem Civitatis, ſed caſu amiſſa eſt?*
10. *SC. ad Civitatem quoque pertinere, & Civitatem hic jure privati uti.*

1 PRimum prohibendi ſtudium Conſultorum Patrum animis inſedit, ne quis mutuam
2 pecuniam daret. Verbum *quis* generale eſt nedum maſculos, ſed & fœminas complectens *l.* 1. *de Verb. Sign.*; ſic Prætorem his verbis: *ſi quis id, quod perpetuæ juriſdictionis cauſa propoſitum &c.* utrumque ſexum ſignificare auctor eſt Ulpianus in *l.* 7. *de juriſd. j. l.* 3. *de neg. geſt.*; nedum Plebejos, Equiteſve, ſed etiam Patricios, & Senatores reſpiciens, omnibus creditoribus, nulla conditionis, aut ordinis ratione habita, mutui dationem interdicens, quæ in filiumfamil. conferatur. Siquidem olim varii erant primi legum verſus, ex quibus qui lata lege tenerentur, aut contra liberi eſſent, dignoſcebatur. Quare his legibus, quarum initium erat *quicumque Senator*, plebem ſolutam fuiſſe conſtat: *Glaucia*, inquit Cic. in orat. pro C. Rabirio poſthumo, *ſolebat homo impurus, ſed tamen acutus populum monere, ut quum lex aliqua recitaretur, primum verſum attenderet, ſi eſſet Dictator, Conſul, Prætor, Magiſter Equitum, ne laboraret, ſciret nihil ad ſe pertinere; ſin autem quicumque poſt hanc legem, videret, ne qua nova quæſtione alligaretur.* De Civitate dubium exoritur, & Rep., an SC. teneantur? Sed illud primo quærendum eſt, an
3 mutui datione obligentur? Qua in re adnotan-

tan-

tandum eſt utilitatis cauſſa receptum eſſe, ut Civitas & dare, & accipere mutuum poſſit, quamvis ſtricto jure id vix fieri poſſe videatur; nam mutuum numeratione & conſenſu contrahitur: At impoſſibile eſt totam Civitatem conſentire poſſe, quum ſint in ea multi aliquando furioſi, infantes, prodigi, pupilli, fatui, aliæque etiam perſonæ, quorum omnium conſenſum exquirere perdifficile eſſet, *l. un. de libertis univerſitatum*. Quia tamen deligi ſolent certæ perſonæ, quarum conſilio cæteri regantur, fit, ut quod Civitatis nomine ab iis datum, aut acceptum eſt, id Civitas dare, aut accipere dicatur. Quamobrem ſi Adminiſtrator, aut Actor, aut Syndicus Civitatis juſſus pecuniam mutuam acceperit Civitatis nomine, omnino obligatur Civitas, perinde ac ſi ipſa re vera accepiſſet, *c. pen. extra de fidejuſſor. l. 6. §. 1. quod cujuſc. univ. nom.* etiamſi pecunia non in rem 4
Civitatis verſa ſit, ſed ab eo, qui accepit, in proprios uſus conſumta, *arg. l. 5. C. h. tit.* hæc enim fraus potius, quam creditori, qui dum adminiſtratori Civitatis mandatum habenti pecuniam credit, juſtam habet augurandi cauſſam, eam in rem Civitatis impenſum iri, Civitati obeſſe debet ſibi imputaturæ, cur talem præpoſuerit, *arg. l. 1. §. 9. de exercit. ac. l. 23. in fin. de minor.*; ſin vero 5

ſine mandato, ita demum obligatur ipſa Civitas, ſi hæc duo concurrant: nempe ſi creditor dedit contemplatione Civitatis, alioquin ipſe ſolus, qui accepit, non Civitas obſtringitur, *l.* 13. *C. ſi certum pet.*; & ſi pecunia in rem Civitatis verſa eſt, *l.* 27. *de reb. cred.* Id quippe exigit favor Civitatum, ne adminiſtratorum culpa damnum patiantur, *arg.*
6 *l. ult. C. de vend. reb. Civit. lib.* 11. Dicitur Reſp. minorum jure uti, *l. pen. C. ex quib. cauſ. maj.* (Reip. autem verbo & Civitatem
7 intelligimus, *arg. l.* 36. *ad municip.*) Atqui minoribus tributum eſt, ne obligentur ex mutui contractu inito per curatores, niſi pecunia in rem ipſorum verſa ſit, *l.* 3. *C. quando ex fac. tut.*, *vel curat.*, *l.* 2. *in fin. C. de curat. furioſi*, *l.* 28. *de ſolut.* Quamquam tamen quum curatoris conſenſu mutuum minor ſumſit, is, qui credidit, pecuniæ numerationem illi utilem fuiſſe, probare haud teneatur, *Fab. lib.* 2. *Cod. t.* 15. *def.* 1. *& tit.* 24. *def.* 1. Hac ratione dici poteſt, quod ſicuti minores ipſi accipiendo pecuniam reſtitui poſſunt in integrum, niſi creditor pecuniam in rem ipſorum verſam eſſe edoceat,
8 *l.* 1. *&* 2. *C. ſi adverſus credit.*, ita etiam Reſp. quando per ſe ipſam, ideſt per Concilium generale, quod in Civitate exercetur, aut per ſolemnem ordinum conven-

tio-

tionem , ut fieri ſolet interdum , pecuniam
accepit ; nam licet hoc caſu obligetur qui-
dem Civitas ipſo jure , reſtitutio tamen illi
non denegatur , *d. l. pen. C. ex quibus cauſ. maj.*
l. un. C. de ſolut. & liberat. debit. Civit. lib. 11.
Quid ſi pecunia non eſt verſa in rem Civitatis, 9
ſed quum actor eam ferret, caſu amiſſa eſt?
Certe probabilem exiſtimo ſententiam eorum,
qui putant tunc teneri Civitatem , *arg. l.* 11.
§. 3. *de min. l.* 47. *de ſolut.* Quod autem de
Civitate, Rep. & minore dicitur, idem de
Eccleſia dicendum eſt, *d.C.pen. extra de fidejuſſ.*

Hæc tamen velut recto itinere depulſus
adjeci, nunc ad ordinem redeo, ac paulliſ-
per ſubſiſto in *l.* 15. *h. tit.* Quis enim vero-
ſimile exiſtimet Civitatem eo malitiæ deven-
turam, ut aut ipſa, aut ejus actores filiisfam.
pecuniam credendo peccandi materiam ma-
lis moribus præſtare ſuſtineant? Quis credat
Civitatem, aut ejus adminiſtratores velle fi-
liosfam. corrumpere? Sed Marciano viſum in 10
Civitate quoque locum habere SC., & ita
refert D. Severum, & Antoninum reſcripſiſſe,
exiſtimantes videlicet quod in Macedone ex-
pertus erat Populus Rom. ejuſmodi eſſe, ut
ab omnibus timendum foret, ideoque non tam
animadvertendum eſſe, quis crediderit, quam
cui creditum ſit: quum utique in propoſito
Civitas etſi malo animo non peccat, feneret

tamen malo exemplo, *arg. l.* 1. *h. tit.* Civitas ergo, & Reſp. hoc caſu, ut in aliis pleriſque, jure privati utitur, *d. l.* 15. *h. t. l.* 16. *de V. Sign. l.* 9. §. 1. *quod met. cauſ. l.* 81. *de furt. l.* 1. §. 4. *de æd. edic.*

CAPUT III.

De Filiofam. & Filiafam., Nepotibus, & deinceps cæteris deſcendentibus.

SUMMARIUM.

1. *Filiusfam. quis proprie dicatur?*
2. *Ad filias quoque familias SC. Maced. pertinere.*
3. *L. 9. §. 2. h. t. explicata.*
4. *Honor, & vita æquiparantur; imo honor magis, quam vita reputatur.*
5. *Quid, ſi filiafam. ornamenta comparaverit ex pecunia ſibi credita, quæ adhuc extent?*
6. *Æquitatem non ſemper ad merum jus gentium exigendam, ſed aliquando ad legum ordinem referendam.*
7. *Ad ſententiam SC. pertinere nepotes quoq; & pronepotes.*
8. *Filiorum nomine etiam nepotes veniunt, quum juſta interpretatio id ſuadet.*
9. *Ratio SC. Macedoniani.*
10. *Patresfam. dicuntur, qui ſunt ſui juris; etiamſi liberos non habeant.*
11. *Occurritur objectioni.*

1 VEtat præterea Senatus pecuniam mutuam dari filiofam.: Is proprie dicitur, qui in poteſtate parentis eſt, quocumque tandem modo, ſive juſtis nuptiis, ſive legitimatione, ſive adrogatione, ſive adoptione ab aſcendente facta in poteſtatem pervenerit, *l.* 4. *de his, qui ſunt ſui, vel al. jur. arg.* §. *ult. inſt. de nupt. & tit. inſt. de adopt.* Dubitari tamen poterat tum quoad ſexum, num filiamfam., tum quoad gradum, num nepotes, pronepotes, & deinceps cæteros deſcendentes Senatus prohibitio comprehenderet? Primam dubitationis partem Ulpianus
2 ſuſtulit aperte inquiens SC. ad filias quoque familiarum pertinere, *l.* 9. §. 2. *h. t.*, nec ineleganti fortaſſe ratione movetur; Licet enim verba de filiofam. tantum concepta adpareant; Sententiam tamen loquentium, & uſus, quem penes arbitrium eſt, & jus, & norma loquendi, indicant ſatis pronunciationem ſermonis in ſexu maſculino ad utrumque ſexum porrigi, niſi aliud aperte refragetur, *l.* 195. *de Verb. Sign. l.* 62. *de l.* 3. Ad hæc, qui præjudiciis vacuus, atque in ſexum muliebrem minus propenſus rem penitius introſpicere, & ampliſſimi ordinis rationem attentius perpendere voluerit, is facile concipiet filias quoque familias in prohibitione contineri: par namque in illis militat creditoris odium, & generatim ſive filio,

ſive

ſive filiæfam. mutua data ſit pecunia, ea da-
tio parentibus perniencioſa viſa eſt, *l.* 3. §. 3.
h. t., eo quod inſidiarum periculum, ac
ſuſpicio in filiam quoque cadere poteſt. Sed
cur, inquis, Ulpianus in hæc verba con- 3.
cludit? *Multo igitur magis ſeveritate SC. ejus
contractus improbabitur, qui filiæfam. mutuum
dedit*, *d. l.* 9. §. 2. *h. t.* Annon par ratio
parem quidem, at non fortiorem juriſpru-
dentiam expoſcit? Imo quum filiæ ob ſexus
infirmitatem minus audere præſumantur, *l.* 3.
§. 3. *C. ad Jul. maj.* non tanta earum reſ-
pectu ſubeſſe ſuſpicio videbatur, ac pericu-
lum, ne æris alieni impatientia tam imma-
ne nefas tentarent, quod Senatus in filio-
rumfam., & maſculorum perſonis merito
ſuſpicabatur; Quæ ſane ratio non modo Ul-
piani conſecutionem eliminat, ſed & pro-
poſitam a nobis doctrinam incertam facit, ac
dubiam. Verum enim vero nec abſurda eſt Ul-
piani conſecutio, nec inelegans eſt ratio, quæ
facilius in filiabus, quam in filiisfam. locum fa-
cit SC. Sunt hæ, quis ignorat? magis credito-
rum captionibus obnoxiæ, adeoque tanto di-
ſtrictius feneratoribus prohibendum fuit, ne fi-
liæfam. pecuniam crederent, cujus pudicitia,
qua nihil ſanctius, nihil charius parentibus
fuiſſe veteres judicabant, uſque adeo ut
proprio ſanguini minime parcentes in filias

ſuas

ſuas dubiæ caſtitatis ſeveriſſime animadverterint, *Val. Max. lib. 6. memorab. c. 1. n. 2. & 3.* ſuſpecta inde fieri poterat. Quid enim eſt aliud filiæfam. pecuniam credere, qua ejus inſania in comparandis ornamentis expleatur, quam ejus pudorem ſollicitare? Quum magis ornatæ fœminæ proniores ſint in luxuriem. Imo vero quum injuria, quæ ob ſuſpectum, vel attentatum pudorem filiæ irrogatur, in patris dedecus redundet, *l. 1. §. 2. de injur. §. 2. inſt. eod.*; honor autem, & vita in exiſtimatione honeſtorum
4 hominum æquiparentur, *l. 9. de man. vind. Cic. pro Milone ſect. 4.*, imo honor magis, quam vita reputetur, *l. 8. §. 2. quod met. cauſa*, ne hoc quidem leve fuit producendi ad pecuniam filiæfam. creditam SC. argumentum.

5 Aſt ponamus modo filiamfam. ex pecunia ſibi credita ornamenta comparaſſe, muliebria ſcilicet, veluti inaures, armillas, viriolas, annulos, aliaque id genus ad corporis cultum, & mundiciem inſervientia, *l. 25. §. 10. de auro, & arg. leg.*, quæ proinde adhuc extent, numquid creditori actio detur? Ulpianum, quæſo, audiamus: *nec ad rem pertinet, ſi adfirmetur ornamenta ex ea pecunia comparaſſe*, *d. l. 9. §. 2.* Dura ſane lex, ſed tamen quia ſcripta eſt, obſervanda, *arg. l. 9. de relig. & ſumt. fun.*

l. 12.

l. 12. *qui & a quibus man.*; Quin tamen ob hoc iniqua cenſeri debeat, quaſi dum filiæfam. commodum promovet, creditoris perniciem, ac damnum præferat. Nam ſi pecunia mutuo data adhuc extet in peculio filiifam. vel apud ipſum, vel apud patrem, & eodem tempore experiatur creditor, ſibique reddi pecuniam petat; annon videtur hoc caſu manifeſta æquitas ſuadere actionem dari, & explorata juris regula, qua traditum natura æquum, eſſe, neminem cum alterius detrimento fieri locupletiorem, *l.* 14. *de condic. indeb.*? Verum hoc in pecunia filiofam. credita contra SC. admiſſum non eſt; De eo namque ita Decreto Senatus denegatur actio, ut nihil interſit, conſumti ſint nummi, an adhuc extent in peculio: ita ratiocinatur Ulpianus *d. l.* 9. §. 2. ibi: *Nam & ei quoque, qui filiof. credidit, Decreto ampliſſimi ordinis actio denegatur: nec intereſt, conſumti ſint nummi, an extent in peculio*: Et recte: Quum enim creditori Senatus prohibitionem ignorare non liceat, ſi quod patitur damnum, volens id patitur; dein illud cum bono publico, ac communi utilitate abunde compenſatur: Nam expedit Reip. hominem de ea male meritum quo aliis exemplo ſit ad deterrenda maleficia, egeſtate laborare, & pecuniæ, quam flocci facta SC. auctoritate cre-

credere non erubuit, licet adhuc extantis amiſſione mulctari. Quod inſuper ex verbis SC. ſuaderi videtur, dum hæc ita concepta ſunt: *ne cui, qui filiofam. pecuniam mutuam dediſſet, actio, petitioque daretur*. Paret ergo ut omnis actio denegetur ſufficere mutuam datam eſſe pecuniam filio, vel filiæfam., nec diſtingui, quis ſit deinde mutui exitus.
6 Æquitas vero, quæ paullo ſuperius objiciebatur, haud ſemper æſtimanda eſt ad merum jus gentium, quo ſpectat allata in contrarium regula *l.* 14. *de condict. indeb.* aliquando cum præceptis civilibus conferenda eſt, & ad legum ordinem exigenda juxta auream Tryphonini ſententiam in *l.* 31. *depoſiti*.

Venio ad alteram dubitationis partem: an Macedonianum SC. ad nepotes etiam, pronepotes, cæteroſque deſcendentes progrediatur? ſane & hic ſi verborum corticem ſpectemus, hæc de filiofam. nominatim concipiuntur, *l.* 1. *h. t.*; aliter autem filii, ali-
7 ter nepotes appellantur, §. *ult. inſt. qui teſt. tut.* Sed magis eſt, ut iis, quibus utimur, juris fundamentis, nepotes quoque, & reliquos deſcendentes ſi non ad verba, ſaltem ad mentem, & ſententiam Senatus pertinere
8 exiſtimemus, *l.* 14. *h. t. l. pen. C. eod.* Filiorum nomine etiam nepotes intelligimus, quoties juſta interpretatio id ſuadet *l.* 201.
de

de Verb. Sign. Hæc vero juſta interpretatio
in propoſito colligitur primum ex ratione
SC., quippe quod publici boni cauſſa in- 9
troductum eſt adverſus feneratorum callidi-
tates, ad avertendum periculum, quod pa-
rentum vitæ ex pecuniæ numeratione parari
poterat, *l.* 3. §. 3. *h. tit.*: quæ ſane ratio
æque in filio, ac in nepote, & pronepote
ſeſe exerit; clare igitur oſtendit Senatum
appellatione filiifam. non modo filium exau-
dire, ſed nepotes quoque, & pronepotes,
qui in avi, vel proavi ſunt poteſtate con-
ſtituti. Deinde hanc interpretationem vel
ipſa SC. verba inſinuare videntur: *etiam poſt
mortem parentis ejus, cujus in poteſtate fuiſſet*;
parentis vero nomen generaliter prolatum, ad
avum quoque, & proavum, cæteroſque aſcen-
dentes referri conſtat, *l.* 4. §. 2. *de in jus
voc. l.* 1. §. 1. *de leg. præſt.* Accedit & alia
obſervatio ex ipſis SC. verbis depromta. Nec
enim de filio ſimpliciter loquitur Senatus,
ſed de filiofam.: Quid inde? Multum ſane:
ſiquidem Jus Civile Romanorum, quum de
liberorum hominum poteſtate agitur, duo tan-
tum genera agnoſcit, patresfam. ſcilicet, & 10
filiosfam., ut patresfam. dicantur omnes, qui
ſunt ſui juris, ſeu familiæ ſuæ principes,
ut Ulpianus loquitur *tit. regul.* 5., & in
domo domini etiamſi liberos non habeant,

filii-

filiiſam. contra omnes, qui ſunt in poteſtate parentis, *l.* 4. *de his, qui ſunt ſui, vel al. jur. l.* 195. §. 1. *de Verb. Sign.* Jam vero ex liberis non ſolos filios eſſe in poteſtate patris liquet, ſed & nepotes in poteſtate avi, atque ita deinceps, §. *ult. inſt. de pat. pot.* omnes propterea SC. comprehendit. Denique omnium luculentiſſimum argumentum eſt, quod Juſtinianus ſuppeditat in Inſtitutionibus §. *pen. quod cum eo, qui in al. pot.* Quoniam ibi poſtquam Senatum prohibuiſſe ait, mutuas pecunias dari eis, qui in poteſtate parentis ſunt, ſubdit ei, qui crediderit, actionem denegari tam adverſus filium, filiamve, nepotem, neptemve, quam adverſus patrem, avumque; Ergo & hos omnes manifeſtiſſimum eſt SC. ſententia contineri; In ſententia, inquam, & hoc eſt, quod inſinuare videntur Impp. in *l. pen.* §. 1. *C.h.t.* reſcribentes hoc SC. ad nepotes, & pronepotes porrigi ſcriptum non eſſe, quia nimirum id non ex propria Verbi ſignificatione fit, ſed ex ſententia loquentis, & uſu juris recepto
11 dimanat. Nec turbat, quod tutor filiis datus, neutiquam datus intelligatur nepotibus, *l.* 6. *de teſt. tut.* Nam quum de tutore teſtamentario incidit ſermo, quæſtio voluntatis eſt, an filiorum nomine veniant nepotes; & niſi juſta interpretatio aliud ſuadeat, verius eſt non ve-

venire, *l.* 84. *l.* 201. *de Verb. Sign.* Aſt hic nulla juſta ſubeſt ratio, cur filiorum appellatione nepotes contineri dicamus; imo fortaſſe juſta non deeſt ratio, qua contrarium aſſeramus; Quandoquidem primo haud præſumendum eſt teſtatorem gravius tutori onus imponere voluiſſe, ut præter propriam verbi ſignificationem, cui in dubio ſervire voluiſſe credendus eſt, filiis datus, etiam nepotibus datus cenſeri debeat, qui aliter, quam filii appellantur, *d.* §. *ult. inſt. qui teſt. tut.* Præterea ne id quidem intereſt nepotum, quum ipſis forte magis expediat peculiarem tutorem habere legitimum, vel dativum, quam teſtamentarium a parente datum, qui filiorum tutela jam ſatis occupatus ſegniorem nepotum curam ſuſciperet. Plane ſi teſtatorem filios non habere fingas, ſed tantum nepotes, aut filios quidem habere, ſed nepotes tantum eſſe impuberes, vix dubitandum, eum filiis tutorem dantem nepotes intellexiſſe, ne alias inutiliter tuto rem dediſſe, & nihil egiſſe videatur, *arg. d. l.* 201. *de Verb.Sig.* Atqui nihil hujuſmodi in SC. Macedoniano attinet dicere, in quo potius omnia concurrunt, cur beneficium in uno genere liberorum conſtitutum, qui ſunt in poteſtate, ad omnes omnino liberos, qui ſunt in eadem poteſtate, ex æquo protendi valeat, & debeat, utdemonſtravimus.

CAPUT

CAPUT IV.

De Filiofamilias in dignitate Conſtituto.

SUMMARIUM.

1. *Senatus prohibitionem ad quemlibet filiumfam. pertinere, cujuſvis ætatis ſit, conditionis, aut ſtatus.*
2. *An ad filios Principum quoque pertineat?*
3. *SC. olim non obtinuiſſe in filiof. Flamine Diali, vel Virgine Veſtali, nec hodie obtinere in dignitatibus majoribus patriam poteſtatem ſolventibus, ubi paucis de dignitate Patriciatus.*
4. *Solvitur objectio, quam nonnulli deducunt ex Nov. 81. c. 2.*
5. *Aliquando in pendenti eſſe, an locus ſit SC., an minus, idque exemplis illuſtratur.*

Quiſquis

QUiſquis ergo filiusfamilias eſt, nullo inter ſexum, & gradum adhibito diſcrimine, ei mutuam pecuniam dare SC. prohibetur: Nihil de ejus ætate, conditione, aut 1
ſtatu adjicitur; quare etiamſi jam matura ſit ætate, induſtriæ, ac frugalitatis laude conſpicuus, nihil refert. Nam qui frugi eſt, licentia poteſt fieri luxurioſus, ſi cœperit valere mutuum, quod ei datur, & prope ridiculus foret, qui ad ſolos minores Senatum reſpexiſſe adfirmaret; quin immo propter majorennes potiſſimum factum cenſeri debet hoc SC., quum minoribus per remedium reſtitutionis in integrum extraordinarium jam ante haud parum fuerit proſpectum. Nihil facit, quod filiusfamilias nobilis ſit, aut in dignitate conſtitutus, etiamſi Senatoria, aut Conſulari dignitate præfulgeat, *l.* 1. §. *ult. h. tit.*; in quo ſummopere Veterum prudentiam demirari ſoleo, dum pleroſque ſua dignitate Verris exemplo abuti conſiderantes, (quanto enim quis in majori dignitate conſtitutus eſt, tanto magis ambitioni indulgere ſolet, & quo major videatur, ſolet aliquando eſſe profuſior) & ſæpe optimos mores in peſſimos e veſtigio commutari exiſtimantes, nullam dignitatis rationem haberi voluerunt; ex quo fit, ut aliquando non tam quod evenit, ſed quod evenire poteſt, inſpici ſoleat, *l.* 13. §. 2. *de damno*

2 *infect.* De filiis Principum quamvis multi dubitent; magis tamen probo ad eos quoque Senatusconſultum pertinere, quum in illis nec patria poteſtas, nec cauſa finalis Senatusconſulti deficiat; immo quum feneratores Principum filiis mutuum dantes graviorem & parentibus, & Reipublicæ perniciem inferre poſſint, majori quoque odio digni videntur, nullaque propterea ſubeſt ratio, cur eorum cauſa Senatusconſultum relaxetur. Quid ergo? nullane dignitas filiumfamilias ab hujuſce Senatusconſulti obſervatione liberabit? ita quidem, ſi modo talis ſit, quæ eum liberet a patria poteſtate. Hujuſ-
3 modi olim erat dignitas Flaminis Dialis, & Virginis Veſtalis; utraque ſiquidem patriam poteſtatem tollebat, & quidem ſine capitis diminutione, ut ex *Aul. Gellio lib.* 1. *Noct. Attic. cap.* 10., *& Ulpian. in fragm. tit.* 10. §. *ult.* eleganter obſervat Cujacius: unde lumen accipiunt *l.* 3. §. *ult. h. tit. l.* 2. §. 1. *quod cum eo, qui in al. poteſt. & l.* 1. §. 4. *quando de peculio actio annal. eſt*: in quibus ponitur quem ſui juris fieri non modo morte, ſed & alias ſine capitis diminutione; quod niſi ad eum, quem dixi, caſum referatur, vix intelligi poſſet. Hodie vero, ſepoſita gentili ſuperſtitione, nulli amplius ſunt Flamines Diales, nullæque Virgines Ve-

ſta-

Digitized by Google

ſtales: altum propterea in jure Juſtinianæo hujuſce dignitatis ſilentium: placuit tamen novo jure, dignitates majores patriæ poteſtatis nexum diſſolvere, ut de Patriciatus dignitate idem Juſtinianus conſtituit *l.* 3. *Cod. de Conſulibus*. §. 4. *inſt. quib. mod. jus pat. poteſt. ſolv.*; noluit enim Imperator, quem ſibi quaſi patrem, & conſiliarium in rectius gubernanda Republica ſummum ac intimum elegit, patriæ poteſtati etiamnum eſſe obnoxium. Summa vero Patriciatus dignitate fungi dicebantur, quos ex ſingulari meritorum fiducia Imperatores ſibi tamquam intimæ admiſſionis conſiliarios eligebant, ſuoque lateri admovebant, honoratiores præ aliis hac ipſa functionis excelſæ, quam apud eoſdem pro communi Reipublicæ ſalute obibant, prærogativa, & ſummo eo dignabantur honore, ut Imperatores ipſi haud ſubſtiterint edicere, hos ſibi quaſi in Patres legiſſe *d.* §. 4.; ad quam ſublimem Patriciatus dignitatem nemo evehebatur, niſi prius aut Conſulatus, aut Præfecturæ Prætorio, aliove excelſo honore jam fuiſſet potitus *l.* 3. *Cod. de Conſulibus*. Idem etiam in Epiſcopali dignitate, ſicut & in Conſulari, & Præfectura ſacrorum Prætoriorum, & Urbicaria, & Magiſterio militari, & generatim in omni dignitate, quæ juxta *l. ult.*

Cod. de decurion. filium liberat a Curia, Juſtinianum conſtituiſſe liquet *ex Nov.* 8 1. *cap.* 1. *&* 3. *& authent. ſed Epiſcopalis Cod. de Epiſc. & Cler.* Ex eo autem, quod legimus in
4 *d. Nov.* 8 1. *c.* 2. liberos per dignitatem patria poteſtate liberatos his haudquaquam privari beneficiis, quæ alias liberis in poteſtate conſtitutis competerent, putandum non eſt colligi, eos adhuc SC. juvari, quippe quod non tam beneficium continet, quam odium feneratoris, cujus improbitatem, ac malitiam vindicat; deinde & addi poteſt patriæ poteſtatis nexu ſolutum etiamnum pro filiofamilias haberi non omnino, ſed quatenus omnia conſervat jura legitima, quæ a familia, & gente dependent, quemadmodum non minus ex citati capitis verbis, *perdere aliquod legitimum jus*, quam ex ipſius inſcriptione facile revincitur. Cæterum ali-
5 quando ſolus eventus declaraturus eſt, an locus ſit Senatusconſulto, necne, veluti ſi pendeat, an filius ſit in poteſtate, ut in ſpecie ab Ulpiano propoſita de patre ab hoſtibus capto *l.* 1. §. 1. *h. tit.*: nam ſi revertatur, cum in poteſtatem patris recidat filius, erit Senatusconſulto locus; ſi non revertatur, ceſſabit Senatusconſultum, tamquam pecunia ei credita, qui neque filiusfamilias tum fuit, quum pecunia ei crede-

re-

retur, neque retro fuiſſe fingitur *l.* 15. *de reb. dub.*; in ſuſpenſo eſt igitur poteſtas Senatusconſulti, atque interim quamdiu' res pendet, deneganda eſt actio, ideſt certi condictio ex mutuo *d. l.* 1. §. 1. Huc etiam referre juvat eodem Ulpiano authore *l.* 7. §. 8. *h. tit.* aliam facti poſitionem, in qua non minus, quam in ſuperiori, ſuum creditor lubrico fortunæ committere cenſetur: videlicet duos filiosf. reos accepi ex cauſa mutuæ datæ pecuniæ: unum putavi patremfamilias eſſe, alterum ſcivi filiumfamilias, quid juris? exitus ſolus declarabit, an exceptione Senatusconſulti ſubmovear, an minus; ſubmoveor, ſi pecunia ad eum pervenit, quem filiumfamilias eſſe non ignorabam, ut ita quod contra Senatusconſulti auctoritatem feci, vindicetur *l.* 3. *in princ. l. penult. h. tit.*; non repellar e converſo, ſi ad eum, quem putabam ſui juris eſſe, perveneritpecunia: pœna quippe dignus cenſeri non debet, qui facti ignorantia labitur *arg. l. ſi ignorans* 50. *locati. l.* 131. *de reg. ju.*, nec improbum videri debet, aut odio dignum creditoris factum, qui correi conditionem ignoravit *l.* 7. §. 8. *& l. penult. h. tit.*

CAPUT V.

Cur Senatusconſultum Macedonianum ad mutuum tantum ſpectet ?

SUMMARIUM.

1. *Servus ex ſuis contractibus non obligatur, filiusf. vero obligatur ex omni cauſa, extra votum & mutuum.*
2. *Ratio, cur SC. Mac. mutuum tantum prohibuerit?*
3. *& 4. Conſectaria, quæ inde promanant, expenduntur, & removentur contraria.*
5. *Intelligitur l. 3. C. h. tit.*

Explora-

EXploratum eſt, filiumfamilias in eo potiſſimum a ſervo differre: quod iſte ex ſuis contractibus non obligatur, adeo ut nec poſt manumiſſionem exinde conveniri poſſit *l.* 14. *de oblig. & act. l.* 17. *de neg. geſt. & toto tit. Cod. an ſerv. poſt. manumiſſ. ten.*; ille vero ex omnibus cauſſis tamquam paterfamilias & obligetur, & in ſolidum conveniatur *l.* 39. *de oblig. & act. l.* 57. *de judic.* veluti ſi quid vendiderit, emerit, permutaverit *l.* 3. §. 3. *h. tit.*, quamvis executio, quia nihil habet in bonis, quamdiu in poteſtate eſt, differatur *l.* 5. *prin. quod cum eo, qui in al. pot.* nec refert, an utiliter gerat, an ſe obligando perdat; quare & ſi pro alio fidejuſſit, placet eum in univerſum obligari *l.* 7. *in prin. h. tit.*; quum tamen evenire queat, ut fidejubeat pro eo, qui ſolvendo non eſt, aut donandi animo fidejubeat; duo vero ab hac regula excipiuntur, votum nempe in cauſſa publica, & mutuum in cauſſa privata, ſeu familiari. Voto filiumfamilias ſine patris auctoritate obligari Romanorum jura noluerunt *l.* 2. *prin. & §§. ſeqq. de pollicit. Fab. Cod. h. tit. def.* 3. *in fin.* Verum quum votum Deo fiat; voti autem implementum nomine Dei a Republica exigatur, magis hæc præſtatio, pollicitationum exemplo, ad juris publici tractationem pertinet, nec noſtram ope-

ram impræſentiarum poſtulare videtur. Mutuo vero ne filiusfamilias obſtringeretur, Senatusconſulto Macedoniano peculiari ratione effectum eſt, tum quia mutuum ſolum velut
2 juvenilis luxuriæ inſtrumentum parentibus perniciofum videbatur *l.* 3. §. 3. *h. tit.*: nam filiusfamilias ubi multa prodegerit, tandem ære alieno obrutus optare incipiebat mortem patri, quod periculum Senatus præcidere voluit; tum quia ad hoc contractus genus, tamquam promtius, expeditiusve procliviores erant filiifamilias, ut paullatim fœnore ſumendo pecuniam, totum patrimonium, cujus poſt mortem patris hæredes erant futuri, abligurirent, atque ad turpem egeſtatem præcipitanter redigerentur. Ex eo vero, quod mutuum dumtaxat Senatus improbat, duo velut legitima doctrinæ conſectaria ſponte dimanant.

Primum eſt non ſufficere, velle filioſ. mu-
3 tuum dare, dare revera neceſſe eſt, quemadmodum non ſufficit velle dominium tranſferre, niſi illud ipſum dominium transferamus, quod volumus. Ergo ſi ſtipulanti filiofamilias promiſſa ſit pecunia, poſtea eidem patrifamilias jam facto credatur, ceſſabit Senatusconſultum, *quia mutua jam patrifamilias data eſt l.* 3. §. *ult. h. tit. confer. cum l.* 6. *eodem*. Idem placet, etſi quod mutuum

alii

alii dedimus, filiusfamilias novandi animo in ſe ſuſcipiat *l.* 13. *Cod.* quia licet hic mors patris demum confirmatura ſit creditoris obligationem, quæ alioqui non ultra peculium valet, nulla tamen in creditorem cadere fraudis ſuſpicio poteſt; aliud ſiquidem eſt verbis credere, aliud numeratione; hoc poſtremum, non alterum Senatusconſulto prohibetur, atque huc mirifice ſpectat brevis non minus, quam elegans Scævolæ ſententia ajentis: *quod vulgo dicitur filiofamilias credi non licere, non ad verba referendum eſt, ſed ad numerationem* *l.* 4. *h. tit.*

Alterum propoſitæ doctrinæ conſectarium in eo ſiſtit, ut ſi primum filiusfamilias cœperit ex alia cauſſa pecuniam debere, dein cum creditore convenerit, ut eam velut mutuam retineret, nihilominus in eo obligationem conſiſtere, nec Senatusconſulto improbari dignoſcamus *l.* 3. *Cod. h. tit.* Aſt poſteriori hac conventione pecunia mutua facta eſt *l. ſingularia* 15. *de reb. creditis*. Ita ſane; ſed non eſt data, ideoque ceſſat Senatusconſultum, inquit Ulpianus *d. l.* 3. §. 3. *h. tit.* ibi: *& ideo etſi in creditum abii filiofamilias, vel ex cauſſa emptionis, vel ex alio contractu, in quo pecuniam non numeravi, & ſtipulatus ſim, licet cœperit eſſe pecunia mutua, tamen quia pecuniæ numeratio non* 4

con-

concurrit, *ceſſat Senatusconſultum*. Quod ſi regeras nihil referre, utrum dem tibi pecuniam, an meam, quæ apud te erat, patiar apud te eſſe, ut fiat tua, ſeu, ut fiat mutua *l.* 9. §. *ult. de reb. cred.*, fateor, ſed hoc, ingenue dicam, parum movet: nam etſi in utroque caſu fit mutuum, non in utroque tamen offenditur Senatusconſultum, quia pecuniæ numeratio non concurrit *d. l.* 3. §. 3. præterea nihil intereſt quoad mutuum conſtituendum, & dominium transferendum attinet; quoad ſententiam vero Senatusconſulti attinet, multum intereſt: quum enim filiofamilias pecunia datur, ei datur, quod perdat, atque in luxuriem conſumat; hoc autem noluit Senatus; at cui pecunia non numeratur, ſed quæ jam apud eum erat, ei permittitur, hic nihil accipit, quod perdat, nihilve amplius ex hac ſecunda conventione conſequitur, quod prius non haberet, nec dici poteſt, ſecundam conventionem ei novam adferre luxuriæ materiem; quare ad hunc caſum Senatusconſulti ſeveritas haud extenditur. Et hoc eſt,
5 quod paucis innuere voluerunt Imperatores *in l.* 3. *Cod. h. tit. origo enim potius obligationis, quam titulus actionis conſiderandus eſt*; quid enim ad rem titulus, ideſt

no-

nomen novæ actionis, ſi hæc nova actio priori ſubſtituta, modo omnia bona fide geſta ſint, nullave ſit fraus Senatuſconſulto cogitata *arg. d. l.* 3. §. 3. *h. tit.* nihil novi inducit contra Senatuſconſultum, quod vetat mutuam pecuniam dari; origine vero inſpecta mutuum non erat, ſed aliud contractus genus, ut ponimus?

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT VI.

Oſtenditur ſolius pecuniæ numerationem prohibitione Senatusconſulti Macedoniani comprehendi.

SUMMARIUM.

1. *Duplex pecuniæ ſignificatio traditur; Senatum vero ſolam pecuniam numeratam reſpexiſſe, & quare? jung. num.* 2.

3. *SC. non pertinere ad res fungibiles, cujus rei nova ratio traditur.*

4. *SC. ad res fungibiles etiam ſpectare, ſi ipſi fraus ſit cogitata.*

Ait

Digitized by Google

At Senatus *mutuam pecuniam*: pecuniæ nomen duplicem habet ſenſum,unum latiorem, quo res omnes ſignificat, ſive corpora ſint, ſive jura, *l.* 5.178.122.*de Verb. ſign.* qua ratione interdum ad ea reſtringitur, quæ mutua dari poſſunt, quæ nimirum pondere, numero, & menſura conſiſtunt, *l.* 2. §. 3. *de reb. creditis*, *l.* 30. *de leg.* 1., ſtrictiorem alterum, quo ſolam pecuniam numeratam, ac publica forma percuſſam denotat: priori vero, an poſteriori ſenſu Senatus pecuniam ſpectarit, adhuc dubitas? Ulpianum audito ita ſcribentem: *Verba videntur mihi ad pecuniam numeratam referri: ait enim Senatus: mutuam pecuniam dediſſet l.* 7. §. 3. *h. tit.* qua facta adjectione, ſupervacuum eſt ſciſcitari, an pecuniæ appellatione in Senatusconſulto corpora comprehendantur; mutuum namque non in corporibus conſiſtit, ſed in generibus, & quantitatibus; quid quod nec ad omnes quantitates Senatusconſultum pertinet, etſi omnes in mutui contractum venire poſſunt; nam ſi hoc ita eſſet, quid opus fuiſſet Senatum prohibere mutuam pecuniam dari? annon mutui mentio abunde ſufficiebat? ita igitur ſe habet res, ut ſola pecunia numerata filiofamilias dari prohibeatur, quod inſuper ea ratione firmatur, quod etſi peculiari lege deſtitueremur, quum tamen pe-

cu-

cuniæ nomen frequentius pro nummis ſumatur, ac pecunia numerata, *l.* 79. *de leg.* 3. *l.* 29. *de Verb. oblig. l.* 2. 5. 7. 10. *& ult. de uſufr. ear. rer., quæ uſu conſum. l.* 2. *de conſtit. pec. l.* 2. §. *ult. Cod. de adminiſtr. tut.* Credendum in dubio foret Senatum propriæ Verbi ſignificationi inhærere voluiſſe, *arg. l.* 69. *de leg.* 3. Perſpicua eſt hujuſce doctrinæ
2 ratio, quia videlicet pecuniæ datio pernicioſa parentibus viſa eſt *l.* 3. §. 3. *h. tit.*, quam rationem, velut nimis contractam, paullo plenius explicat Juſtinianus, dum inquit: *quæ ideo Senatus proſpexit, quia ſæpe onerati ære alieno creditarum pecuniarum, quas in luxuriem conſumebant, parentum vitæ inſidiabantur* §. *pen. inſt. quod cum eo, qui in alien. poteſt.* Igitur propoſitum Senatui fuit periculum præcidere, quod ex filiorum luxurie parentibus adſtruebatur, quod tamen periculum præcidi non poterat, niſi prius luxuriæ materia, & occaſio contrahendi æs alienum tolleretur, quo quum obrui cœperunt filiifamilias, verendum ampliſſimus Ordo exiſtimavit, ne ad præmaturum, atque improbum ſucceſſionis, & mortis paternæ votum impellerentur, *l.* 1. *h. tit. d.* §. *penult. inſt. quod cum eo &c.* Quo alludit Philippus Macedonum Rex duobus filiis Perſeo, & Demetrio apud Livium exprobrans his verbis:
Vivo

Vivo, & ſpirante me hæreditatem meam ambo & ſpe, & cupiditate improba creviſtis; & Fabius Declam. 245. *quoniam te luxurioſum ſpes adhuc pecuniæ faciebat, & hæc ipſa accipiendæ pecuniæ fames alias videtur prodere cupiditates*. Porro autem luxuriæ materies parata eſt filiisfamilias, ſi pecunia numerata ipſis credita mutuum conſiſtere cœperit; Nam ea ſola luxui adcommodatior cenſetur; ea ſola adoleſcentium mores corrumpi Veteres judicabant: quare Megaronides ſenex Caliclem ſic graviter increpat apud Plautum in Trinummo *act.* 1. *Scen.* 2.

Dediſtine hoc pacto ei gladium, qui ſe occideret?
Quid ſecus eſt, aut quid intereſt dare te in manus
Argentum amanti homini, adoleſcenti animi impoti,
Qui exædificaret ſuam inchoatam ignaviam?

Sola propterea pecunia viſa eſt pernicioſa eorum parentibus, *d. l.* 3. §. 3. *h. t.*

Non idem ſane judicium eſſe debet de cæteris rebus fungibilibus, filiofamilias creditis, quæ pondere, numero, & menſura conſiſtunt, 3
arg. d. l. 3. §. 3. *& l.* 7. §. 3. *eod.*: res enim ejuſmodi non adeo promtam, ut pecunia numerata, adeoque facilem ſuppeditant

tant

Digitized by Google

tant luxuriandi materiem : quippe quum vix commode ad luxuriem adhiberi valeant, quodam, ita dixerim, circuitu opus eſt, ut ſcilicet prius eas vendat filiusfam., ut pretium inde redactum ad luxum convertat: qui ſane circuitus, ut ſuis plerumque haud caret incommodis, ita & filiosfamilias removet a mutuo contrahendo, & nonniſi remota inde oriri poteſt luxuriæ occaſio, quam nec Ampliſſimus Ordo majori avertendo periculo intentus tollere curavit. Præterea, ſi licet aliis quodlibet dicere, mihi, quod lubet, liceat credere, exiſtimarem Senatuſconſulti ſeveritatem, cujus ſit mentio *in l.* 9. §. 2. *h. tit.* contra ampliſſimam verbi ſignificationem, benigna interpretatione leniendam fuiſſe, atque ad ſolam pecuniam numeratam propterea fuiſſe reſtrictam, quod & pleriſque aliis tituli locis factum animadverto, licet interdum ſeverius accipiatur, *l.* 7. §. *proinde* 7. *eod.* Hæc tamen ita velim intelligi, niſi fraus
4 Senatusconſulto ſit cogitata, veluti ſi vinum, frumentum, oleum quis dederit filiofamilias, ut iis diſtractis fructibus, pecunia uteretur, *d. l.* 7. §. 3. *h. tit.* Idem intellige, ſi quis credere ob Senatusconſulti prohibitionem veritus, alium, quæſito colore, cum filiofamilias in ejuſdem Senatusconſulti fraudem contractum geſſerit, puta ei vendiderit, ut ille

rei

rei pretium haberet in mutui vicem *d. l.* 3. §. 3. *h. tit.*; nam his caſibus perinde locus erit Senatusconſulto , ac ſi credita pecunia fuiſſet, quoniam id potius in omni contractu inſpiciendum eſt , quod agitur , non quod ſimulate concipitur *tot. tit. Cod. plus val.*, *quod agitur*, brevique manu perinde habendum, ac ſi filiusfamilias pro rei emtæ pretio debitam ſolviſſet, tumque mutuam eamdem pecuniam a venditore accepiſſet, *arg. l. rogaſti* 11. *de reb. cred.*; quod aliud profecto non eſſet, quam novum luxui adoleſcentium, & feneratorum calliditati campum aperire, &, quod una via fieri lege prohibetur , tacite alia in legis fraudem inducere , *arg. l.* 38. *de bonis lib. l.* 3. §. 4. *de don. inter vir. & uxor.*

CAPUT VII.

An Senatusconſultum offendat, qui mutuum gratis, ideſt ſine uſuris, filiofamilias dederit?

SUMMARIUM.

Ratio dubitandi unde ſumta? Dein oſtenditur SC. gratuitam æque, ac non gratuitam pecuniam comprehendere.

Præ-

Digitized by Google

PRætermiſiſſem libenter quæſtionem hujuſmodi, niſi duo intercederent juris loca, quæ nonnullos ex Interpretibus paulliſper morantur; ſcilicet *l.* 1. *in prin. h. tit. l.* 3. *Cod. eod.*: illic enim dicitur, Senatusconſulto notari ſeu coerceri eos, *qui peſſimo exemplo fenerarent*. Iſthic appellatur Senatusconſultum *quo fenerare filiisfamilias prohibitum eſt*. At fenerare non eſt mutuam pecuniam gratis concedere, ſed eam ſub uſuris credere, quod odio dignum videri poterat, dum e converſo, qui gratuitam credit pecuniam, rem facit officii plenam, ac liberalem. Verum ſi jus civile calumniari non oportet, nec verba captare, ſed qua mente quid diceretur, animadvertere convenit, *l. penult. ad exhib.* Conſtanter reſpondendum eſt cum Ulpiano, ſive ſub uſuris mutua data ſit pecunia, ſive ſine uſuris, ad Senatusconſultum ſpectare *l.* 7. §. 9. *h. tit.*; nec movet verbum fenerandi, de quo in allatis legibus; nam etſi illud proprie mutuum ſub uſuris contractum denotat, unde Plautus in Aſinaria, *ſi mutuo*, inquit, *non potero, certum eſt, ſumam fœnore*, quod etiam indicaſſe videtur Cicero de amicitia, dum ait: *ut enim benefici, liberaleſque ſumus, non ut exigamus gratiam; neque enim beneficium feneramur, ſed natura propenſi ad beneficium ſumus &c.*; attamen a verbi pro-

D 2 prie-

prietate recedimus, quoties Legislatoris voluntas aliud ſuadet *arg. l. 69. de leg. 3.*: de eo itaque hoc loco tantum quæſtio incidit, an Senatus gratuitam, æque ac feneratitiam pecuniam filiisf. datam improbaverit? quod verius puto; ſiquidem cauſſam non video, cur priora Senatusconſulti verba, *mutuam pecuniam*, ex quibus ipſius Senatus ſpiritum colligere fas eſt, adeo generalia ac late patentia velint ad ſolum mutuum uſurarium coarctare, dum ſequentia verba *ut ſcirent qui peſſimo exemplo fenerarent &c.* potius cauſſam impulſivam indicare dicenda ſunt, quam ullam reſtrictionem admittere. Quamquam vero odio potiſſimum feneratorum latum ſit Senatusconſultum, qua ratione vocatur Senatusconſultum, quo filiisfamilias fenerare eſt prohibitum, *Cit. l. 3. Cod. h. tit.*; de his tamen ſimpliciter, ac generaliter conceptum eſt, qui filiisfamilias mutuam pecuniam dediſſent *d. l. 1. h. tit.* Ad hæc Senatusconſulti ratio æque in mutuo, ac in fœnore obtinet; nam æque gratuitæ, ac fœneratitiæ pecuniæ datio parentibus pernicioſa eſſe poterat, & mali exempli, ob materiam peccandi, quæ inde præberi ſolet filiisfamilias, quos pecuniæ occaſione vitiis implicari, & quod conſequens eſt, ingratiores fieri parentibus, minuſve obſequentes, vel ipſa quotidiana experien-

perientia teſtatur: præterea poteſt etiam ea res mali ominis videri plena, ob votum captandæ mortis paternæ, non modo in perſona filii, quem ut luxurioſum, ac perditum æris alieni magnitudo ad tam impium facinus impellere poſſet; ſed & in perſona creditoris, id maxime ſatagentis, ut morte patris bonum, ac certum nomen fiat, quod interim nonniſi dubium foret, atque incertum, nec proinde dubitabit quiſpiam, quin triſtiſſimi, ac periculoſiſſimi eventus res plena ſit, ut Juſtin. loquitur *in l. ult. Cod. de pactis*. Denique facile conventio fœnoris occultari poſſet, dum improbi fœneratores gratuitam, ac ſine uſuris pecuniam filiisfamilias concederent occultato fœnore, quod ferendum non eſt. Igitur improbat Senatus utrumque, tam fœnus, quam mutuum, *Q. E. D.*

CAPUT VIII.

Quid ſibi velint ea Senatusconſulti verba incertis nominibus *ab Ulpiano relata* in l. 1. h. tit., *eaq. alia* ne quid amplius diceretur?

SUMMARIUM.

1. *Referuntur variæ Interpretum opiniones quoad incerta nomina.*
2. *Probabilius eſſe incertis nominibus mala, ac ſuſpecta nomina ſignificari; ejuſmodi autem eſſe nomina filiorumfam.*
3. *Feneratorum duo olim genera: alii certis, alii incertis nominibus credebant.*
4. *Quis ſit genuinus eorum verborum ſenſus:* ne quid amplius diceretur, *indicatur.*
5. *Quid Senatus innuere voluerit per ea verba:* nullius poſſe filiifam. bonum nomen expectata patris morte fieri? *eorumve curioſa obſervatio.*

Diffi-

DIfficilis ſane locus, ob varia, ac repugnantia noſtrorum ſenſa, in quo propterea propoſiti noſtri partibus functos eſſe exiſtimabimus, ſi ea paucis, ac perſpicue, quoad licebit, perſtrinxerimus, quodque nobis perplaceat, inde ſubjiciamus. Primum itaque nonnulli exiſtimant incertis nominibus credere, nihil aliud eſſe apud Ulpianum, quam ſolutionem conferre in diem mortis paternæ, qui incertus eſt *l.* 75. *de cond. & demonſt.*, quaſi ipſum nomen ex diei incertitudine, qui ſolutioni adjectus eſt, incertum fiat: credunt alii, *incertis nominibus*, idem eſſe, ac non expreſſa cauſa, vel titulo credendi, ne, ſi exprimeretur, creditoris turpitudo detegeretur, nec condici poſſet, quod perdituro, vel ſcortis fortaſſe daturo filiofamilias creditum eſſet *arg. l. ſiquis* 8. *pro emptore*; alii etiam incerta nomina interpretantur obligationes ſcriptas, quarum ſolutioni nullum certum tempus præſtituebatur, quaſi hoc eſſet improborum ſtudium fœneratorum, nullum ſolutionis tempus inſtrumento inſerere, ne liberum, quandocumque voluerint, agendi arbitrium ſibi præriperent, ſicque ſemper debitori imminerent. Sunt, qui ea verba, ut generaliter concepta, generaliter etiam accipiunt, ut incerta nomina ſint nomina

obſcura, atque confuſa, vel ratione quantitatis creditæ, vel ratione uſurarum debitarum, vel ratione cauſſæ, & rei, in quam filiusfamilias mutuaretur, vel demum ob aliam quamcumque cauſſam, quippe quum ex hac incertitudine, ac obſcuritate, aliquid ſubeſſe minus honeſtum argueretur. Tradunt iſti Senatum incertis nominibus Syngrapham indicare voluiſſe, ejuſque rei conjecturam in eo collocant, quod olim moris fuiſſe ajunt, ut omnis pecunia certis, aut incertis nominibus crederetur, certis quidem per chirographum, incertis vero per Syngrapham; autumant illi nomina incerta dici ex incerto fœnore, quoties nimirum uſurarum quantitas non exprimebatur. Nec deſunt inſuper alii ſimplicitatis amantiores, qui Senatum putant ea verba adjeciſſe, eo quod Macedo, quem cauſſam præbuiſſe Senatusconſulto jam ſuperius diximus, plura diverſi generis inſtrumenta fieri curaret, eaque ita confunderet, ac incerta redderet, ut nemini præter ipſum eorum certitudinem habere, ac mutuum probare liceret, quod tamen quomodo Macedo ipſe perageret, quum res facti alieni ſit, ignorare ſe ingenue fatentur. Quid igitur nobis in tanta opinionum varietate proferre licebit, quod omni cenſura ſit vacuum?

Unum

Unum velut probabilius nobis adridet, atque hoc eſt, incertis nominibus credere non aliud eſſe, quam malis nominibus credere, quibus in fine Senatusconſulti opponitur *nomen bonum*, quod ab Horatio *lib.* 2. *epiſt.* 1. *verſ.* 103. certum nomen vocatur.

Cautos nominibus certis expendere nummos;

Sive fideí minime levis, aut dubiæ, quo ſenſu & Cicero videtur accipere *lib.* 5. *ad Atticum epiſ. ult.*: *Quintum Voluſium tui Tiberii generum certum hominem, ſed mirifice etiam abſtinentem, miſi in Cyprum*; Atqui nullum magis incertum nomen eſſe poteſt, quam nomen filiifamilias debitoris, ſive præſentem ejus inopiam ſpectes, quum nihil in bonis habeat *l.* 28. *de vulg. & pup. l.* 1. *ſi a par. quis manum.*, ſive animadvertas fieri poſſe, ut turbato mortalitatis ordine patri præmoriatur, quo caſu nulla amplius ſpes creditoribus affulget debitum conſequendi, etiamſi vivo adhuc patre filium convenerint, ac condemnaverint *l.* 57. *de jud. l.* 10. §. 2. *de fidejuſſ.*, ſive demum conſideres multa accidere poſſe, quæ faciant, ne poſt patris obitum fiat ſolvendo; ſiquidem poteſt a patre merenter exhæredari: poteſt pater fortunæ injuria ad ſummam redigi egeſtatem, ſicque inu-

inutilis fieri creditori actio adverſus filium-
familias, quam etiam defuncto patre de-
bitoris excludit inopia *l. 6. de dol. mal.
junc. l. 24. mandat.* In hac vero interpre-
tatione, ſeu conjectura, illud me magis
confirmat, quod video Senatum, poſtquam
incertorum nominum mentionem fecit, ſta-
tim de filiisfamilias ſubjeciſſe, ut nimirum
innueret incerta nomina eſſe filiorumfami-
lias; fœneratorum enim duo potiſſimum
erant genera: alii quamvis duri atque acer-
3 bi, prudentes tamen nonniſi certis nomini-
bus, ideſt nominibus bonis, quibus per
leges, perque eorum fortunas tuto credi
poterat, pecunias ſuas fœnerabant, atque
uſura centeſima, quam etſi gravem, &
ſanguinolentam, jus tamen permittebat,
contenti erant: contra alii non tam duri,
quam imprudentes & improbi, finem mo-
dumque uſurarum egredientes, Fufidii Ho-
ratiani, vel Macedonis exemplo, mala ſe-
ctabantur nomina, ſeu, ut loquitur Senatus,
incerta, quibus tuto credi non poterat,
homines ſcilicet perditos, aut filiosf., aut
adoleſcentes luxurioſos, aut prodigos, a
quibus propterea periculi prætextu, quod
credendo erant ſubituri, binas, ternas, aut
quaternas, quandoque etiam quinas ſtipu-
labantur centeſimas uſuras: binarum centeſi-
ma-

Digitized by Google

marum meminit Cicero *Verrin.* 3. *cap.* 71.: triplicis uſuræ, ideſt ternæ centeſimæ Juvenal. *ſatyr.* 9. *v.* 7. quaternarum idem Cicero *lib.* 5. *ad Atticum ep. ult.*, *& lib.* 6. *ep.* 1. *&* 2.: quinarum centeſimarum Horatius *lib.* 1. *ſerm. ſat.* 2. *v.* 14.. Inde eveniebat ſæpe, ut adoleſcentes tanta æris alieni magnitudine gravati parentis vitæ inſidias cogitarent, ut poſt ejus necem invenirent, quo æs alienum diſſolverent. Atque hic eſt planus, ac perſpicuus Senatusconſulti ſenſus, a paucis hactenus animadverſus, & variis variorum interpretationibus oneratus.

Quod autem Senatus ait: *ne quid amplius diceretur*, ſignificat ne quid gravius, 4
& aſperius diceretur, gallice dixeris *pour ne dire pis*, quæ elegans eſt reticentia, qua inſinuatur fœneratores, qui filiisfamilias in incertum ſolutionis eventum mutuam pecuniam darent, ſcelerum ſollicitatores, conciliatoreſque, ac juventutis corruptores merito dici poſſe: veroſimile ſiquidem eſt creditores, qui res ſuas non facile jactare præſumuntur *arg. l.* 25. *de probation.*, dum filiisfamilias crederent, ſpem ſolutionis in tempus mortis paternæ conferre, vel filiosfam. ſollicitare, ut furtum facerent, vel ut peculium intricarent, vel etiam, ut rationes ſibi commiſſas turbarent *arg. l.* 1. §. 4.

de

de ſerv. corrup. quare creditum hoc peſſimi exempli eſſe dicitur in fine Senatusconſulti, & parentibus perniciosum *l.* 3. §. 3. *h. tit.* Denique antequam manum de tabula tollam, poſtrema Senatusconſulti verba, *nullius poſſe filiifamilias bonum nomen expectata patris morte fieri* notatu digniſſima ſunt: recte enim dictum eſt, *expectata*, qua de re Donati verba habemus in illud Terentii in Adelphis *act.* 1. *ſcen.* 2. *v.* 29.

Potiuſquam ubi te expectatum ejeciſſet foras, *expectatum*, inquit ille, *odioſum*, & *malæ vitæ*; *nam filiis parentes aut amabiles ſunt*, *aut expectati*: *amabiles boni*: *expectati mali*, *quorum mors in dies ſingulos expectanda*, & *exoptanda ſit*; *nam expectamus ante diem*, *ſperamus ad diem*, *unde avidior intelligitur*, *qui expectat*, *quam qui ſperat*: hæc Donatus. Huc etiam referre juvat argutam illam Proculeji reſponſionem, qui cum quereretur de filio, quod mortem ſuam expectaret, & filius diceret ſe vero non expectare: *imo rogo*, *ut expectes*, inquit: in quo ejuſdem verbi ſignificationi contraria opponitur ſignificatio: utraque in Senatusconſulti verbis incluſa eſt; Nam & expectatur, hoc eſt, exoptatur a filio mors patris, ut veniat, quoniam ejus vita gravis illi eſt; & expectatur, hoc eſt attenditur a fœneratore, dum veniat, quoniam non antea filii bonum nomen fieri poterat. CA-

CAPUT IX.

De pœna Senatuſconſulti Macedoniani.

SUMMARIUM.

Leges quaſdam olim imperfectas fuiſſe: Tum quæ ſit pœna a Senatusconſulto Macedoniano Feneratoribus inflicta?

Parum

PArum eſt bonas leges condere, niſi & pœna in contravenientes ſtatuatur; quare leges hujuſmodi vetantes, nec tamen ea, quæ in contrarium acta ſunt, infirmantes, neque pœnam ſancientes Ulpianus imperfectas, & minus quam perfectas leges appellabat *in fragm. tit.* 1. *in princ.*: quo in genere quondam lex Cincia, quæ ſupra certum modum donari prohibens, non tamen ſi plus donatum fuiſſet, donata reſcidit, pœnamve decrevit *Ul. cit. loco*; non idem de Senatusconſulto Macedoniano dici poteſt, quod perfectæ legis nomen, & laudem merito vindicare dixeris, dum & prohibet filiisfamilias mutuam dari pecuniam; & ſi contra factum ſit, certam pœnam conſtituit, qua fœnerantes, ſeu, quod idem fere ſonat, adoleſcentium corruptores jure coerceantur, ut ita, quos Senatus auctoritas continere non poterat, pœnæ ſaltem metus ab eo inflictæ compeſceret. Pœnam vero Ampliſſimus Ordo aptiorem, ac refrænandæ creditorum licentiæ, & avaritiæ accommodatiorem nullam eſſe cenſuit, quam actionis, petitionisve denegationem: ajunt enim Conſulti Patres: *placere, ne cui, qui filiofamilias mutuam pecuniam dediſſet, etiam poſt mortem parentis ejus, cujus in poteſtate fuiſſet, actio, petitiove daretur, l.* 1. *h. tit.*; ſi quidem hoc genus

nus hominum avariſſimum, ac tenaciſſimum facile a credendo filiisſamilias temperabit, ſi viam conſequendi crediti ſibi præcludi ſubodoraverit. Sequens igitur labor circa hanc pœnam hærebit.

CAPUT

CAPUT X.

Quomodo exaudienda ſint ea Senatusconſulti verba : ne actio petitioque daretur l. 1. h. tit.

SUMMARIUM.

1. *Expenditur quorumdam ſententia, qui his verbis actionem excludi ipſo jure ſcribunt.*
2. *Sæpe apud Juris auctores effectus magis actionis, quam actio ipſa ſpectari ſolet.*
3. *Traditur genuinus eorum verborum ſenſus, & dirimuntur contraria.*

Judi-

JUdicarunt plerique adeo fœneratorum cauſam odioſam Senatui viſam eſſe, *arg. l.* 40. *de condict. indebiti*, ut illis omnem agendi viam ſeveritate quadam præcludere ipſo jure voluerit, ſicque quod dicitur in Senatusconſulto actionem non dari, ſive, quod idem eſt, actionem denegari, *l.* 1. §. 1. *l.* 7. §. 4. *h. tit. l.* 4. *Cod. eod.* fidenti animo excipiunt, atque interpretantur, rati hoc caſu nullum eſſe contractum, nullam obligationem, nullamve propterea actionem, *arg. l.* 5. *C. de legib.*: aliis volupe eſt caſum ſecernere, in quo contra Senatusconſultum manifeſte actum adpareat ab alio, in quo de eo ambigatur, ut primo caſu omnem actionem odio fœneratorum ipſo jure infirmari exiſtiment, altero ſoli exceptioni locum fieri, qua actio elidatur. Nimis tamen confidenter utrumque, multumque vereor, ne re ſerio perpenſa neutri ex his duabus ſententiis velificari poſſimus, non primæ: Quorſum enim tam frequens in legibus Macedoniani exceptionis mentio, *l.* 40. *de condict. indeb. l.* 7. *in princ.* §. 1. 2. 4. 8. 10. 11. 14. *l.* 11. *h. tit.* & *alibi paſſim*, numquam vim habituræ, ſi ipſo jure, ut illi putant, denegetur actio? omnis exceptio præſupponit actionem, nec eam tantum, quæ competat, ſed etiam quæ jam inſtituta, ac propoſita ſit; quum nihil

aliud ſit exceptio , quam actionis excluſio , & quædam veluti eliſio , *l. 2. in princ. & paſſim de except.*: Non alteri, quia etſi dubitari ab initio contingat, an contra Senatusconſulti auctoritatem factum ſit, necne; ſublata tamen dubitatione dicendum, vel locum eſſe Senatusconſulto, vel ceſſare Senatusconſultum; & ſi nihil contra illud factum adpareat, actionem admitti, & exceptionem excludi: Quid igi-
2 tur? animadvertimus Veteres ſæpe ad effectum magis inſtitutæ actionis, quam ad actionem ipſam ſpectantes reſpondiſſe, actionem non dari, actionem denegari, quæ tamen revera jam nata erat, ſed vel nondum ita adulta, ut in forum prodire valeret, *arg. l. 9. §. 3. de pignor. act.*, vel quæ oppoſita exceptione poterat elidi: unde confectum vulgare axioma, nihil referre ipſo jure quis actionem non habeat, an habeat quidem, ſed quæ perpetua exceptione a judicii limine removeatur, *l. 66. l. 112. de reg. jur.*; ſic etiam, quia naturalis obligatio a pupillo ſine tutoris auctoritate ſuſcepta nullum eidem nociturum effectum parere poteſt, veteres juris auctores naturalem obligationem in pupilli perſona ſpectantes ſcribere non dubitarunt, pupillum nec naturaliter debere, nec naturali jure obligatum eſſe, *l. 41. de condict. indeb. l. 59. de obl. & act.*. Hactenus novum non eſt

obli-

obligationem per ſe validam, & natura ſua efficacem, nullam tamen dici inſpecto impedimento, quod extrinſecus illi reſiſtit; obligationem mere Civilem appellat, & efficacem Juſtinianus *in* §. 3. *inſt. de except.*, quæ tamen propter obſtantem exceptionem nulla a Pomponio dicitur *in l.* 25. *de Verb. oblig.*
Superiora itaque verba ad effectum referenda 3
ſunt, ut ſcilicet illis intelligeremus Senatusconſultum haud abſolute actionem, petitionemve denegaſſe, ſed arbitratum fuiſſe dandam quidem creditori eſſe actionem, eam poſtulanti certo Jure Civili, ſed datam ſine re manere, quum exceptione infirmetur *d. l.* 112. *de reg. jur.* Actionis autem verbo plerumque juxta Civilem loquendi conſuetudinem actio in perſonam ſignificatur, petitio actionem in rem denotat *l.* 178. §. 2. *de Verb. ſignif.*; ſenſus igitur eſt, non ſolum denegari condictionem certi ex mutuo, vel ex ſtipulatu, ſed & actionem in rem: At quænam actio in rem hic competere poteſt, ſi dominium ex cauſa mutui in debitorem translatum creditor amiſit? Nihil eſt, in quo hæreamus: petitionis verbum ad hypothecariam actionem eſt referendum, veluti ſi fingamus pignus in ſecuritatem mutui obligatum fuiſſe. Nec turbat argumentum *l.* 5. *Cod. de legib.*, tum quia nullum dici nequit, quod contra

legem geritur, quoties ejus reſciſſionem lex ipſa deſiderat, ut in teſtamento inofficioſo, in alienatis in fraudem creditorum, in metu geſtis, aliiſve ſimilibus manifeſtum eſt, vel remedium ſuppeditat, quo quis ſe defendat, puta exceptionem dando, quæ ſubortæ actioni objiciatur: ut in propoſito, & Senatusconſulto Vellejano animadvertere licet; tum quia Senatus filiofam. credi nominatim non vetuit, ſed creditum dumtaxat ab eo exigi prohibuit, quamquam, hoc prohibito, & illud per conſequentiam prohibuiſſe videri queat; tum demum quia ante Juſtinianum quod legislator fieri prohibuiſſet tantum, non erat nullum, niſi hoc ſpecialiter addidiſſet, ut ex eadem *l.* 5. atque ex Ulpiano *in fragm. tit. de libertin.* liquido colligi poteſt.

CAPUT

CAPUT XI.

Quibus competat Macedoniani Senatusconſulti exceptio.

SUMMARIUM.

1. *An exceptio SC. filii ſucceſſori adcommodetur? Intellectus Gordiani locus in* l. 1. C. ne filius pro patre conven.
2. *Utrum hæc exceptio detur fidejuſſori filiifam.? Explicata* l. 9. §. 3. j. l. 7. §. 11. h. tit.
3. *Innuitur diſcrimen inter Macedoniani, & Vellejani SC. exceptiones.*
4. *Nihil referre, an fidejuſſor ab initio acceſſerit, an poſtea, contracta jam obligatione principali, modo id fecerit vivo adhuc filiofam.: exponitur Juliani reſponſum in* l. 18. h. tit. *& a contrariis vindicatur.*
5. *Diluitur antilogia inter Julianum in* d. l. 18. h. tit., *& eumdem Julianum in* l. 11. de fidejuſſor.
6. *Facti ſpecies l. 7. §. 1. h. tit. enucleata.*
7. *Genuinus ſenſus Nov. 99. c. 1. obiter indicatus.*

SEnatusconſulti exceptionem adverſus fœneratores dari, eorumque actionem, petitionemve elidere ſatis arbitror eſſe ex præcedenti Capite demonſtratum; at nondum ſatis expeditum eſt, cui hæc exceptio detur, utrum ſoli filiofamilias, qui mutuum accepit, an etiam aliis? Nec enim cui danda ſit, Senatus indicat. Duo igitur hoc loco in
1 quæſtionem cadunt: Primum eſt, an filii ſucceſſori exceptio accommodetur, alterum, an ejus fidejuſſori? Ad primum quod ſpectat, admodum veriſimile, eſt exceptionem generaliter omnibus promitti, qui, niſi Senatusconſultum obſtaret, condictione certi ex mutuo filiofamilias dato conveniri poſſent; quippe quum Senatusconſulti verba ſine perſonæ deſignatione, ac generaliter prolata ex uſu juris apud Veteres recepto in rem concepta intelligi debeant. Hac ratione non ſolum filius in patria poteſtate conſtitutus exceptione uti poterit, ſive ante, ſive poſt mortem Patris conveniatur, *l.* 1. *princ.* §. 1., *&* 2. *l.* 9. §. 2. *l.* 14. *h. tit.* Sed & hæres filii, ſi ſui juris factus deceſſerit, & pater ejus, ſi deceſſerit adhuc filiusfamilias, *l.* 7. §. 10. *h. tit. l.* 6. *C. eod.* Quod poſtremum æque obtinet, ſi pater de peculio conveniatur, quando filium adhuc retinet in poteſtate, ac ſi poſt emancipationem, §. 7. *inſt. quod cum eo, qui in alien. poteſt.*

poteſt. : Neque huic doctrinæ contrarius eſt Gordianus *in l.* 1. *C. ne filius pro patre conven.*; ad eum quippe referendus eſt, qui ſui juris erat jam tum, quum mutuum contraheret, ut verba ipſa demonſtrant; At hic ſicuti pro extraneo habetur, ita nulla ſubeſt ratio, qua ex illius contractu patrem teneri dicamus, *arg. l.* 38. §. 17. *de Verb. oblig.* Quod de patre ſcripſimus, illud ad avum quoque eſt protrahendum, quum & illi exceptio accommodetur, quod voluit Senatus parentùm ſecuritati omnino proſpicere, & filiosfamilias non minus, quam nepotes reſpicere, jam ſuperius fuit adnotatum.

Paullo difficilior eſt deliberatio de fidejuſſore filiifamilias, an exceptione juvandus ſit, 2 tum quia altum de fidejuſſore ſilentium apud Senatum, *l.* 1. *h. tit.*, tum quia diverſa longe eſt perſona filiifamilias a fidejuſſore, & filiifamilias obligatio ab illa fidejuſſoris; iſte enim non mutuam pecuniam accepit, quod unice Senatus vetuit, ſed fidejuſſit, quod nec ipſi filiofamilias eſt interdictum *l.* 7. *h. tit.*. Ad hæc fidejuſſori quoque imputandum, cur pro filiofamilias ita obligato interceſſerit, eamve ſibi ſponte neceſſitatem impoſuerit, *arg. l.* 2. §. 8. *ſi quis caut. l.* 7. §. 1. *qui ſatiſd. cog.* Aſt hic non tam quæritur, an filii fidejuſſori exceptio danda ſit, vel deneganda, quam utrum ex ſcripti juris ratione

 detur,

detur, vel denegetur, quum ſatis nobis futurum exiſtimemus, ſi ſtudioſi Interpretis laudem aſſequamur, nec temere, ut plerique faciunt, legislatoris gloriam affectare videamur. Porro ſi jus ſcriptum conſulimus, fidejuſſori quoque, & mandatori filiifamilias hujuſce Senatusconſulti auxilium prodeſſe comperiemus, vel denegari, prout nimirum animum habuit donandi fidejuſſor, vel hoc animo caruit, *l.* 9. §. 3. *h. tit.* nec ineleganti ſane ratione; nam parum prodeſſet filiofamilias Senatusconſulti auxilium, niſi etiam fidejuſſori ejus daretur, quoties hic non donandi animo interceſſit; quippe quum fidejuſſor habeat regreſſum adverſus filiumfamilias, vel actione mandati, ſi mandatum interfuit, vel negotiorum geſtorum nullo mandato interveniente, *l.* 20. §. 1. *mandati*, filiifamilias vero nihil interſit, an a creditore, an a fidejuſſore conveniatur, *arg. l.* 1. §. 2. *de ædil. edict.*, an creditori, an fidejuſſori debitum ſolvat, de quo tamen, ſepoſita fidejuſſione, adverſus creditorem ſecurus fuiſſet. Hac ratione ſi debitori principali liberatio relicta ſit, etiam fidejuſſor ejus liberandus eſt, niſi is ita interceſſerit, ut regreſſum contra debitorem principalem habere nequeat, *l.* 2. *l.* 5. *princ. &* §. 1. *de liberat. leg.* Præterea Macedoniani Senatusconſulti exceptio non

per-

perſonæ, ſed rei cohæret, *l.* 7. *de except.*, nec tam ex qualitate perſonæ, quam ex æquitate negotii pendet, ac proficiſcitur; hoc vero ſufficit, ut fidejuſſori etiam invito reo accommodetur, *l. omnes* 19. *de except.* Non ita eſt, ubi fidejuſſor pro filiofamilias intervenit donandi animo, quia tunc ei adverſus reum regredienti via præcluditur, ſuæque facilitati expenſum ferre debet, ſi fuit in fidejubendo nimis liberalis: nam ſi fidejuſſori in primo caſu accommodatur exceptio, non ipſius, ſed filiifamilias intuitu adcommodatur, ne alias ob fidejuſſoris regreſſum effectu ipſo filiusf. conveniri videatur, quod Senatusconſulti ſententiæ aperte videtur contrarium, *l.* 5. *de lib. leg. cum lex* 46. *de fidejuſſ.*, quod in ſecundo caſu omnino diverſum eſſe nemo non videt, eo quod nullus fidejuſſori, qui donandi animum habuit, regreſſus detur. Huic fidejuſſori ſimilis eſt Dominus mercis, qui filiumfamilias extraneum merci ſuæ præpoſuit, atque hic deinde in ea adminiſtratione mutuam pecuniam accepit; nam & in hac ſpecie ipſum quidem inſtitorem, quia filiusf. fuit, Senatusconſulti beneficio uſurum conſtat, ſi conveniatur; Cæterum præponentem inſtitoria actione ſine exceptione teneri placuit, etſi hic conveniatur ex facto filii, *l.* 7. §. 11. *h. tit.*, non alia ſane de cauſa,

quam

quam quod Dominus mercis adverſus filiumfamilias inſtitorem caret regreſſu, quum ea pecunia in rem ejus verſa fuerit. Nec me nihilo ſecius piget hanc materiem paullo fuſius, quam mihi initio propoſitum fuerit, tractaſſe, tum ne accuratam philoſophandi rationem prudentibus noſtris familiarem ignoremus, tum etiam ut maximam differentiam,
3 quæ inter Macedoniani exceptionem intercedit, & eam, quæ Senatusconſulto Vellejano permittitur, aſſequamur; hæc ſiquidem ne eo quidem caſu fidejuſſori denegatur, quo nullum regreſſum ad mulierem, quæ interceſſit, ſit habiturus, quia Senatus totam improbat obligationem, etiam fidejuſſorum, & a Prætore reſtituitur prior debitor creditori *l. 16. §. 1. ad Senatusconſultum Vellejanum*; inſuper quia Macedoniani odium coarctandum fuit, & Vellejani favor ampliandus, *arg. l. 19. de lib. & poſth.*

Cæterum, ut in viam redeamus: parum refert, an fidejuſſor ab initio donandi animo acceſſerit, an vero poſtea, conſtante jam obligatione naturali: quum poſſit & & præcedere obligationem, & ſubſequi §.
4 3. *inſt. de fidejuſſ.*, modo id fecerit vivo adhuc filiofamilias; eo quippe fato functo, fidejuſſoris obligatio conſiſtere nequit, quod nulla amplius, ne ſpe quidem, ſupereſt

prin-

principalis obligatio, nec civilis, nec naturalis, cui fidejuſſor accedat *l. creditorem* 18. *h. tit.*, quod ita explicandum exiſtimo: non ſupereſt in perſona filiifamilias, quem ponimus jam mortuum, nec ſupereſt in perſona patris, qui etſi de peculio obligetur etiam poſt obitum filii, ſcilicet intra annum *l.* 1. *&* 2. *quando de peculio actio ann. eſt.*; duplex tamen hic ſpectanda eſt obligatio, altera filii, quæ principalis eſt, altera patris, quæ eſt acceſſoria *l.* 44. *de pecul.*; nos vero de fidejuſſore accepto pro obligatione filii ſermonem inſtituimus, non de eo, qui patris obligationi acceſſit *d. l.* 18. *h. tit.*; quin nobis moleſtus ſit Juſtinianus in *Nov.* 118. *cap.* 2. conſtituens filiumfamilias morientem relinquere patrem non tamquam anomalum, & irregularem ſucceſſorem, qui filii bona occupet jure peculii, ſeu jure patriæ poteſtatis, ut vetus Jurisprudentia ſtatuebat *l.* 1. 2. *& paſſim de Caſtrenſi peculio*, ſed hæredem, in quem propterea obligatio filii tranſmittatur, quæ fidejuſſorem admittere valeat; Quum enim Imperator nihil omnino immutaverit in peculio profectitio, de quo intelligenda *d. l.* 18., ſed tantum in adventitio, ut accuratiores Interpretes obſervant, cauſam non video, cur id jus velut nova lege non cor-

rectum,

rectum ſtare prohibeatur *arg. l.* 27. *Cod. de teſtam. l.* 32. §. *ult. Cod. de appellat.*: plane a patre ejus actionis nomine, quæ de peculio adverſus eum competat, fidejuſſorem recte accipi Julianus ſcribit Venulejo auctore *lib.* 2. *ſtipulationum d. l.* 18. *h. tit.* cur id alibi idem Julianus aperte negat *l.* 11. *de fidejuſſ.*? quia diſſimilis eſt, puto, utriuſque loci ſpecies: nam *in l.* 18. *h. tit.* valde probabile eſt de eo tractari filiofamilias, qui licite, & Senatu permittente contraxit, ideſt patris voluntate mutuum accepit, quo caſu, quum pater de peculio ex contractu filii teneatur *d. l.* 44. *de peculio*, rectiſſime Venulejus ex Juliano reſpondet, ejus actionis nomine dari a patre fidejuſſorem poſſe *d. l.* 18., dum e converſo in *l.* 11. *de fidejuſſ.* de creditore agitur, qui contra Senatusconſultum credidit, ut ex ipſamet lege evidentiſſime patet; quum tunc nec pater de peculio, nec filiusfamilias in ſolidum obligetur *l. filius* 6. *Cod. h. tit.*, quid eſt, cur miremur creditorem non poſſe a patre fidejuſſorem accipere *d. l.* 11. *de fidejuſſ.*? huic vero interpretationi adquieſcere malim, quam aut Julianum in eodem argumento (quod cæteroquin temerarium foret aſſerere,) inconſtantiæ, ac levitatis arguere, aut cum Accurſio divinari *l.* 18. *h. tit.* ad filium re-

feren-

ferendam eſſe, qui ſe ex alia, quam mutui cauſa obligaverit. Denique huc etiam pertinet elegans facti poſitio ab Ulpiano propoſita *in l. 7. §. 1. h. tit.*: Accepi duos reos, 6
filiumfamilias, & Titium, quum ad filiumf. tota eſſet perventura pecunia: Ideo autem reum Titium accepi, ne quaſi fidejuſſor Sènatusconſulti auxilio uteretur; Quid juris? placet hoc quoque caſu Titio correo dari utilem exceptionem propter fraudem Senatusconſulto cogitatam, non tamquam correo, ſed tamquam fidejuſſori filiifamilias. E re ſiquidem eſt omnibus fœneratorum calliditatibus, quibus ſalvo verborum cortice Senatusconſulti ſententiam circumvenire adlaborant, obviam ire. Diverſum foret, ſi Titius cum filiofamilias acceptus ſit correus ſimpliciter, & bona fide; tunc enim cuivis e duobus numerata ſit pecunia, ſemper Titius teneretur; quippe qui numquam pro fidejuſſore filiifamilias, ſed pro principali correo debendi haberetur. Dum e converſo ipſe filiusfamilias nec obſtringitur ut reus principalis, nec ut fidejuſſor Titii; Quum duo correi debendi haud cenſeantur invicem fidejuſſores *l. reos 11. in princ. de duobus reis.* Quod a Juſtiniano immutatum eſſe plerique opinantur; qui tamen, ut verbo dicam, *Novell. 99. cap. 1.* genuinum ſenſum attigiſſe 7
non

non videntur; nec enim de omnibus debendi reis generaliter, & ſimpliciter loquitur Imperator, ſed de his ſpecialiter, qui alterna fidejuſſione obligati ſunt, ideſt qui ita ſunt accepti, ut alter pro altero fidejuberet, quemadmodum non ſolum ex illis verbis: *Siquis alterna fidejuſſione obligatos ſumat aliquos*; Sed ex ipſius Novellæ inſcriptione *de mutuis fidejuſſoribus*, ut ex Græco fidenter eruditi interpretantur, manifeſte colligitur.

Digitized by Google

CAPUT XII.

De natura exceptionis Macedoniani Senatuſconſulti, & quo tempore proponi debeat.

SUMMARIUM.

1. *Declaratur exceptionem Macedoniani SC. realem eſſe, civilem, perpetuam, & peremtoriam.*
2. *Hanc exceptionem objici poſſe etiam poſt condemnationem ad impediendam rei judicatæ executionem.*
3. *Occurritur argumentis contrariis.*
4. *Exemplis oſtenditur exceptiones alias judicatum impugnare, alias ſalva rei judicatæ auctoritate opponi; prioribus etiam poſt ſententiam locum fieri, aliis non fieri.*

Primum

PRimum meminiſſe juvat exceptionem hujuſmodi realem eſſe, non perſonalem, quia, ut in antecedentibus obſervatum eſt,
1 omnibus, qui ob mutuum a filiofamilias contractum conveniri poſſunt, adcommodatur *l.* 7. §. 1. & 10. *l.* 9. §. 3. *h. tit.*, Civilem, non Prætoriam *arg.* §. 7. *inſt. de except.*, perpetuam, & peremtoriam, non temporalem, & dilatoriam, quia ſemper agenti creditori obſtat, & rem, qua de agitur, perimit §. 9. *inſt. eod.*, *perpetuæ*, *ac peremtoriæ*: ſic definit Cajus, *ſunt*, *quæ ſemper locum habent*, *nec evitari poſſunt l.* 3. *de exceptionib.*, ex quo intelligimus Macedoniani exceptionem perpetuam dici, non quod quavis judicii parte opponi queat, ut cæteroqui nonnullis viſum eſt, nam aliquando dilatoriæ poſt litem conteſtatam objici poſſunt, ſed a tempore, quo ejus ſemel propoſitæ effectus durat, eoque ſenſu etiam verum eſt exceptionem non numeratæ pecuniæ perpetuam eſſe. Unum vero ſummopere dignum eſt, quod hoc loco adnotetur ad tempus quod attinet proponendæ exceptionis, videlicet eam objici poſſe non ſolum poſt litem conteſtatam cæterarum exemplo peremtoriarum *l.* 4. 8. 9. *Cod. de except. l.* 2. *Cod. ſent. reſc. non poſſe*,
2 *cap.* 1. *de litis conteſt. in* 6.; verum etiam poſt condemnationem ad impediendam executio-

cutionem *l.* 11. *h. tit.*; quod tamen ita accipiendum eſt, ſi res acta ſit judicio cum filiofamilias, non autem cum eo, qui jam ſui juris factus eſſet; ergo ſi filiusfamilias, mutua accepta pecunia, a creditore conventus vel inconſulto, vel per imprudentiam exceptionem omiſerit, atque ita condemnatus intra conſtituta tempora non appellaverit, ſi conveniatur poſtea in executione judicati, recte nihilominus exceptionem opponet, qua executionem impediet: diverſum foret, ſi cum eo jam emancipato judicium inſtitutum eſſet, & omiſſa exceptione condemnatus non provocaſſet; nam is ſui juris factus exceptioni renunciare potuit, ut infra oſtendemus. Nec his adverſatur regula,
qua generaliter traditur judicatum, a quo 3
appellatum non eſt, exceptione peremtoria reſcindi non poſſe *l.* 2. *Cod. ſent. reſc. non poſſe*; exceptio enim peculiaris eſt in Senatusconſulto Macedoniano, & Vellejano: Macedoniani exceptio in odium, & ob pœnam creditorum introducta eſt *l.* 9. §. *pen. h. tit. l.* 40. *de condic. indeb.*; pœnam vero non lueret creditor, ſi filiofamilias liceret, omiſſa per diſſimulationem exceptione, ſeſe neceſſitati ſolvendi ſubjicere, immo facile corrumpi, ac induci adoleſcentes poſſent a creditoribus, ut exceptionem omitterent, quod

Digitized by Google

non eſt ferendum ; exceptio Vellejani ex adverſo comparata eſt in gratiam mulierum, quibus Senatus favere, & opem ferre voluit, ut etiam poſt ſententiam ad ejus impediendam executionem eam allegare valeant *d. l.* 11.; imo quum ſoluti repetitio mulieri detur *d. l.* 40. vix dolo careret victor ſententiæ executione ſibi ſolvi deſiderans, quod mox eſſet reſtituturus *l.* 8. *de doli mali*, *& metus except.*. Gravius fortaſſe eſt , quod alii obtrudunt, admiſſa nempe excipiendi etiam poſt ſententiam facultate futurum , ut non tam judicati executio impediri, quam judicatum ipſum ſubverti videatur, quod alioqui pro veritate haberi ſemper oportet *l.* 206. *de reg. jur.*; ſed nihil eſt, quod certam Ulpiani ſententiam infirmare, aut conturbare valeat . Nam inter exceptiones, de quibus
4 quæri poteſt , an poſt ſententiam opponi queant, aliæ ſunt, quæ judicatum ipſum impugnant, aliæ, quæ ſalva judicati auctoritate opponuntur: quæ ſunt prioris generis, poſt ſententiam neutiquam admittuntur; publice namque intereſt rerum judicatarum auctoritatem non convelli *L* 65. §. 2. *ad. Senatuscons. Trebell.*; poſterioris vero generis exceptiones opponi quandoque poſſunt, quum judicati auctoritatem minime ſubvertant; in hunc cenſum referri primum poteſt exceptio

Ma-

Macedoniani Senatusconſulti, qua de agitur: nam qui illam objicit, haud inficiatur ſe ipſo jure teneri, nec contendit ſe condemnari aut non potuiſſe, aut non debuiſſe, ideſt de condemnationis iniquitate non queritur, ſed hoc unum intendit ſe beneficio Senatusconſulti juvari oportere, ne obligationis, quam Senatus improbat, effectum creditor conſequatur; huc etiam refertur exceptio Senatusconſulti Vellejani *d. l.* 11. *h. tit.*, quam tum mulier, tum ejus fidejuſſores perinde in executione judicati objicere poſſunt, ac ſi condemnatio nulla interceſſerit: Denique exceptio compenſationis *l.* 16. §. 1. *de compenſationibus*; quandoquidem qui hac exceptione utitur, nil minus agit quam judicati auctoritatem, ac veritatem convellere, dum haud negat ſe debere, ſed dumtaxat id agit, ut quod ſe debere fatetur per compenſationem ſolvat. Hinc planum eſt colligere leviſſimum eſſe, quod aliis graviſſimum videtur, filiumfamilias nempe, qui exceptionem ante ſententiam, & condemnationem opponere ſuperſedit, eam hoc ipſo remiſiſſe cenſeri, *arg. l.* 2. *Cod. ſent. reſcindi non poſſe*; Enim vero quum ſciret jus opponendæ exceptionis adhuc ſibi durare uſque ad judicati executionem, ſibique liberum eſſe quam

uno tempore non objecit exceptionem; jure ſuo, ac lege permittente in aliud tempus æque habile, ac opportunum differre, quid, obſecro, cauſæ eſt, cur illi renunciaſſe credatur? *arg. l.* 39. *de pign. act. l.* 8. §. 15. *quib. mod. pign. vel hypoth. ſolv. l.* 34. §. 1. *de leg.* 2.?

CAPUT

CAPUT XIII.

An Senatuſconſulti Macedoniani beneficio illæſa conſcientia uti liceat?

SUMMARIUM.

1. *Exponuntur negantis ſententiæ fundamenta.*
2. *Veriorem eſſe eorum ſententiam, qui filiumf. bona conſcientia SC. uti exiſtimant, ejuſve rationes adducuntur.*
3. *Refutatur quorumdam commentum, qui ſcribunt legum civilium diſpoſitionem hominum conſcientias lædere.*
4. *Naturalem obligationem non ad id conſcientiam filiifam. obſtringere, ut mutuum reddat, ſed ut ſolutum non repetat; ejuſve rei ratio unde petenda?*
5. *Occurritur objectioni ſumtæ ex* l. nam hoc natura 14. de condic. indeb.
6. *Publica utilitas privatæ ſemper anteponenda; idque uſucapionis exemplo demonſtratur.*
7. *Reſpondetur* ad pſalmum 37. v. 21.
8. *Vulgata Interpretum diſtinctio, utrum bona, an mala fide filiof. credita fuerit pecunia, ad criterium exigitur.*
9. *Quoties adductæ a nobis rationes eximendo ſcrupulo nondum debitori ſufficiant, is rectius aget, ſi mutuum reddat.*

NOn eſt quæſtio in toto Juris Civilis corpore ab Interpretibus utriuſque juris ventilata, ac cribrata magis, quam iſthæc, eamque dubio procul auſim a nemine adhuc recte enodatam aſſerere. Qui laqueos conſcientiæ injicere ſtudent, Paulli primum
1 auctoritate nituntur, ut probent, ſublata per Senatusconſultum civili obligatione, adhuc ſupereſſe naturalem, qua filiumfam. contendunt in conſcientiæ judicio obſtringi *l.* 10. *h. tit.*, dein naturalem æquitatem haud ferre ajunt, ut filiusfamilias cum alterius jactura fiat locupletior *l.* 14. *de condic. indeb.*, denique utuntur etiam ſacrarum litterarum oraculo *pſalmo* 37. *v.* 21. *improbus mutuum accipit, & non reddit*. Verum plauſibilior nobis eorum opinio exiſtimatur, velut auctoritati juris, & rationi magis conſentanea, qui filiumfam. integra conſcientia hujus Senatus-
2 conſulti exceptione uti poſſe arbitrantur. Etenim civiles leges aliquid nominatim ſancientes, etiam in foro poli adſtringere notiſſimum eſt *arg. cap.* 20. *de elect.*, *extravaganti ambitioſæ de reb. Eccl. non alien.*; imo conſcientiam ex his, quæ juribus ſtatuta ſunt, informandam, ac inſtituendam eſſe obſervat *Bald. teſte Fagn. ad cap.* 10. *de teſtament. n.* 60. 61. *&* 103.; quia qui Reipublicæ ſe civem facit, is Reipublicæ ſe legibus

gibus eo ipſo ſubjicit, & quaſi communi cum reliquis ejuſdem Reip. membris, ac Civibus ſponſione inita *l.* 1. *&* 2. *de leg.*; ſe Reipublicæ illius leges obſervaturum, illiſve non oblocuturum adpromittit, ut adeo quaſi ex pacto convento cives ad legum obſervantiam etiam in foro conſcientiæ teneantur, ut argute ratiocinatur *Grotius de jur. bell. & pac.* 11. *num.* 1., eaque propter non modo excuſari apud Deum, qui legibus Civilibus obtemperat, ſed, quum omnis poteſtas Legislatorum a Deo ſit, neceſſario illis parendum eſſe conſtat. Quod ſi cuilibet legi rationabili convenit, multomagis de Macedoniano Senatusconſulto adfirmari poteſt, quod juſtiſſima lex eſt, rectaque ratione ſuffulta, & publici boni cauſa lata, ad extirpandam nimirum avariſſimorum hominum nequitiam, atque ad coercendum luxum, & corruptelam filiorumfamilias, unde pernicies parentum vitæ metuebatur *l.* 1. *in principio v. & ſæpe h. tit.*, §. *penult. inſt. quod cum eo &c.*; neque dubitandum eſt Senatum publica ſuadente utilitate eam pœnam feneratori, quem gravius punire ei liberum fuiſſet, injungere potuiſſe, ut ei actio, petitioque denegaretur *d. l.* 1. *h. tit.*; quamobrem nequeo immota fronte obſoleta quo- 3
rumdam commenta audire, qui ſcribunt le-

gum Civilium diſpoſitionem, ubi obſerventur, conſcientias lædere, earumve tranquillitati eſſe contrariam; nam, per Superos rogo, quid peccat, qui legibus, quæ juſtæ, & rationabiles ſunt, obtemperat, aut quid delinquit, qui eo jure utitur, quod ipſi a lege tribuitur *arg. l. 24. §. fin. de damn. infec. l. 6. §. 6. quæ in fraud. credit. l. 4. Cod. ad l. Jul. de adulter.*? Annon præterea a Chriſtiana Republica penitus amandandum foret Senatusconſultum Macedonianum, ſi eo filiifamilias abſque conſcientiæ labe uti neutiquam poſſent? quod tamen hactenus, quod ſciam, nec factum eſt, nec factu utile. Atqui naturalis obligatio ſupereſt, non inficior, hæc autem hominum conſcientias devincit, non intercedo: Sed hoc ipſum eſt, quod contrariæ ſententiæ fautoribus egregie impoſuit. Nam hac ipſa naturali obligatione
4 non ad id conſcientia filiifamilias adſtringitur, ut mutuum creditori reddat: ab hac quippe obligationis parte filiusfamilias tum Civili, tum naturali, atque conſcientiæ lege abſolvitur, ſed tantum, ut ſolutum non repetat *d. l. 9. §. ult. & l. 10. h. tit.*, quod ne cui mirum, aut paradoxum videatur, animadvertere juvat conſcientiæ obligationem ex lege pendere, ſeu ex dictamine ſuæ cujuſque conſcientiæ ad univerſalem naturæ

legem

legem compoſito æſtimari oportere; lex autem naturæ de negotiis civilibus ita ſtatuit, ut præter ſumma principia, & inde legitime deductas concluſiones communes, in reliquis Legislatori Civili permittat pro moribus populi, ac ſtatu Reipublicæ liberam arbitrandi ſtatuendique facultatem. Sic e. c. lex naturæ docet fidem eſſe ſervandam; eam tamen minime offenderit, qui fidem furioſo non ſervet; ſic etiam pacta, quæ turpem cauſam continent, & quæ dolo malo, aut adverſus leges Civiles, aut in earum fraudem fiunt, ſervare non licet *l.* 7. §. 7. *l.* 27. §. 4. *de pact.*; quæ quidem reſtrictiones, ſive exceptiones ipſamet naturæ, adeoque conſcientiæ lege admittuntur. Hinc propterea fit, ut obligatio naturalis, cui illi maxime fidunt, quum ſuam ex mutuo originem trahat, ab ipſo Senatusconſulto explicetur, determinetur, atque ad uſum moreſque Civium, & formam Reipublicæ adcommodetur; aſt Senatusconſultum mutuum quidem non prohibuit, qua ratione licite illud reddi poteſt, & redditum non poteſt repeti *d. l.* 9. §. *ult.* *l.* 10. *h. tit.*; prohibuit tamen in odium fœneratorum, & ob parentum ſecuritatem Civilem, ac violentam exactionem, proindeque cæteros effectus, qui, probante Civili jure, naturali obligationi ſæpe tribuuntur, im-

improbavit, eoſve ob utilitatem publicam, nomine quaſi, & conſenſu fœneratoris, remiſit, ac ſuſtulit. Abſonum ſiquidem foret, Senatum obligationi, quam ipſe inpoſterum impedire volebat, vim, & efficaciam tribuere; ſi ergo ſine effectu manet naturalis obligatio (modo ſoluti retentionem excipias *dd. ll.*) perinde ſe habet res, ac ſi ne ulla quidem ſubeſſet *arg. l.* 41. *de condic. indeb.*, adeoque ſolutionem recte negabit filiusfamilias, quin tamen ejus conſcientiam naturalis
5 obligatio turbare valeat; nec relevat etiam, quod ſuperius adducebatur, naturalem æquitatem haud pati quempiam cum alterius jactura facultates ſuas augere *l.* 14. *de condic. indeb.*; hoc enim tum demum verum, quum nullus illius, de cujus damno agitur, dolus argui poteſt; quia ſi dolus ſubeſt, delictum, vel culpa, eo ipſo nec damnum ſentire cenſetur, in quod ſe ſponte conjecit *arg. l.* 203. *de reg. jur.*: unde haud abſque ratione duplum, aut quadruplum a fure exigimus, etſi cum ejuſdem jactura locupletari videamur *vid. Exod. cap.* 22. *v.* 9. *& ſeq.*; nimirum cum de mutuo agitur, qui ſcelerati Macedonis exemplum ſecutus pecuniam filiofamilias fœneraverit, ipſe de ſe queri debet, ſi penitus actione ad recuperandum mutuum deſtituitur. Ad hæc allatæ in contra-

tra-

trarium regulæ locum minime fieri exiſtima- 6
rem, quoties privatum damnum, ut in pro-
poſito, cum publica utilitate concurrit; in
hoc enim conflictu quis adeo rigidæ con-
ſcientiæ erit, qui vel ipſo dictante naturali
jure, unde conſcientiæ obligatio naſcitur,
hanc illi non præferat? privatum namque
creditoris damnum, quod illi ex denegata
a filiofamilias mutui ſolutione creatur, abun-
de egregio publico penſatur, in quo vera,
& ſolida utilitas continetur, & cujus proinde
prima ratio habenda eſt, ut quid ſimile in
uſucapione contingere Interpretes commu-
niter obſervant: ſiquidem etſi uſucapioni ali-
quid iniquitatis ineſſe admittatur, qua ratio-
ne ſunt, qui eam inter nævos Romanæ Ju-
riſprudentiæ referre ſtudent; ſemper tamen
verum eſt boni publici reſpectu omnem ini-
quitatis umbram abſtergi, omnemque privatam
jacturam ex ſupina ignorantia, taciturnitate,
ac præſumta derelictione conflatam publi-
cæ tranquillitati æquiſſimum eſt cedere; quia
humanæ ſocietatis intereſt aliquem litium fi-
nem eſſe, rerumque dominia, atque com-
mercia in certo, & extra controverſiæ aleam
conſtitui: quo alludit illud Taciti Lib. 15.
Ann.: *habet aliquid ex iniquo omne malum exem-
plum, quod utilitate publica contra ſingulos
rependitur*. Hinc propterea non modo Ro-
manis

manis legibus, ſed & Canonum Jure probari uſucapionem liquet *ex toto tit. Decretalium de præſcrip.*, quæ haud dubie non probaretur, ſi abſque conſcientiæ labe procedere uſuca-
7 pio non poſſet; demum *ad Pſalmum* 37. *v.* 21. reſponderi poteſt de mutuo commode intelligi, quod legitime contractum eſt, ſeu quod juxta leges datum, & acceptum eſt, non de eo, quod Magiſtratus, vel legis beneficiis non adjuvatur: improbitas enim nulla in eo, qui nihil peccat; nil autem peccat, adeoque conſcientiam non lædit, qui legis beneficium exercens ſuo jure utitur, ut diximus, *arg. Can.* 40. *c.* 23. *qu.* 4.; alioqui Senatusconſultum bona, juſtiſſimaque ratione ſancitum, emaculata conſcientia obſervari haudquaquam poſſet, quo nihil abſurdius adfirmaveris. Equidem non ignoro apud multos ex noſtris diſtinctionem invaluiſſe,
8 inter bonam, & malam fidem creditoris, adeo ut tum demum Senatusconſulti auxilio filiumfamilias recta conſcientia uti poſſe pronuntient, quum creditor ipſi pecunias ad profuſionem, & luxum ſciens ſubminiſtraverit; ubi vero bona fide pecuniam dedit, ut ut eam luxurioſe conſumſerit, in animæ judicio tutum haud eſſe reſpondeant *Vvames Cent. Civ.* 2. *Conſil.* 99. *Tulden. in Cod. h. tit. n.* 4. *Covarruv. ad C. quamvis*

de

de reg. jur. in 6. p. 2. §. 3. *n.* 5. Sed ſi quorum memoriam veneror, eorum ſententiam liceat carpere, modeſtiſſime dixerim traditam diſtinctionem nihil apud me obtinere. Vel enim bona fide, & in eam cauſam creditor filiofamilias pecuniam numeravit, in quam citra Senatusconſulti metum credi poterat, & tunc ſicut ceſſare exceptionem inferius demonſtrabitur, etſi eam in aleam, aut luxum prodegerit, ita ridiculum erit ſciſcitari, an filiusf. illibata conſcientia poſſit eo beneficio uti, quod ei Senatus auctoritate denegatur; vel e converſo nulla ab initio ſuberat cauſa, in quam tuto credi liceret, & fenerator bona intentione pecuniam dedit, opinatus filiumfamilias ea bene, utiliterve uſurum; & idem etiamnum adfirmaverim, ac ſi pecuniam, quam credebat, ſciverit male impenſum iri, aut in ſpecie ad luxum dederit; nam præterquamquod vix eſt, ut bona fides agnoſcatur in eo, qui nulla exiſtente cauſa a Senatu permiſſa, fatua opinione, dixerim, inſcio, & invito patre, filiofamilias, cujus perſona ſuſpecta ei videri debebat, pecuniam dedit, quum facile ſubodorare poſſet futurum, ut in pravos juveniles uſus conſumeretur *arg. l.* 19. *h. tit.*, publicæ utilitatis ratio ſuperius expenſa rem omnem dirimit; nec

enim

enim minus verum eſt fœneratorem debi-
tori luxuriæ, & incontinentiæ fomitem præ-
ſtitiſſe, corruptoſque ejus mores, & peri-
culum illatum parenti; quemadmodum vero
9 *bene præcipiunt, qui vetant quidquam agere, quod*
dubites æquum ſit, an iniquum, quia cum æqui-
tas luceat ipſa per ſe, dubitatio cogitationem
ſignificat injuriæ Cic. de Offic. lib. 1. cap. 9.,
ita ſi cui hæc, quæ attulimus, rationum
momenta eximendo ſcrupulo necdum ſuffi-
ciant, & pro circumſtantiarum varietate,
quibus mutuum datum, acceptumve eſt,
etiamnum dubitet, ac vereatur, ne illius
reſtitutionem negando conſcientiam offen-
dat, eum rectius facturum exiſtimo, ſi mu-
tuum reddat; nam *omne, quod non eſt ex*
fide, ideſt, ut interpretatur Vir eruditiſſimus,
quod pro certo non habeas, juſtum eſſe, *pec-*
catum eſt Div. Paul. ad Rom. cap. 14. v. ult.
vid. Grot. lib. 2. Cap. 23. §. 21. n. 2.

CAPUT

CAPUT XIV.

De exceptionibus Senatusconſulti Macedoniani.

SUMMARIUM.

1. *Ceſſat SC. in filiof. Caſtrenſe peculium habente, uſque tamen ad quantitatem peculii.*
2. *Quid novi in hac re de filiof. milite Juſtinianus conſtituerit.*
3. *Ceſſat quoque, ſi filiusf. peculium habeat quaſi Caſtrenſe, ſimiliter pro quantitate peculii, & non ultra, quin hic aliquid novi Conſtitutum adpareat.*
4. *Cur in filio emancipato locum non habeat SC.?*

Cæte-

CÆterum non perpetuo ſe exerit Senatusconſulti aſperitas, nec continuo dici poteſt contra Senatusconſultum factum eſſe, ac pecuniam mutuam filiusfamilias acceperit; enimvero plures occurrunt caſus, in quibus efficaciter ex mutuo obligatur, nec ulla exceptione creditorum actio repelli poteſt. Operæ pretium eſt igitur, ut in illis recenſendis datam fidem liberemus. Et quidem alii ad perſonam filiifamilias, ad patris perſonam alii referuntur. Ex perſona filiifamilias primum ceſſat Senatusconſultum, ſi peculium Caſtrenſe habeat; *l.* 1. §. *ult. h. tit.* Poſtquam enim Divorum Principum munificentia Juris Veteris rigorem attemperavit, quod idem plane jus patri in corpus, & bona liberorum tribuebat, quod Domino in ſervos, cujus rei teſtis eſt locupletiſſimus Dionyſius Halicarnaſſ. lib. 8., atque uti invitarent præmio aliquo adoleſcentes ad militiæ munera ſubeunda, eorumve ſibi conciliarent ſtudia, Caſtrenſia bona filiisfamilias pleno jure addixerunt, quod militibus primum tributum eſt, poſtea etiam Veteranis, ſeu a militia miſſis, placuit illico in filiofamilias milite ceſſare Ampliſſimi Ordinis Decretum, qui Caſtrenſe peculium haberet *d. l.* 1. §. *ult. h. tit.* Quum autem hujuſce exceptionis cauſa ſit peculii favor, recte conſequitur

ſequitur ceſſare Senatusconſultum uſque ad quantitatem peculii, *l. 2. h. tit.*. Itaque ſi filius, qui ducenta in peculio habebat, quadringenta mutuo acceperit, debiturus tantum eſt ducenta, & quamvis poſtea ſui juris factus alia bona habere occœperit, nihilo tamen plus ab eo exigi poterit, quam antea mutuum conſtiterit, ideſt ad modum Caſtrenſis peculii. Verumtamen Juſtinianus in 2
hac re quid plus militi tribuit: Nam ſi filiusfamilias miles pecuniam mutuam acceperit, generaliter ſanxit contractum ſubſiſtere, nullo diſcrimine adhibito ob quam cauſam pecuniæ creditæ, vel ubi conſumtæ ſint, utrum habeat miles peculium Caſtrenſe, an minus, & ſi habeat, utrum mutuum peculii quantitatem excedat, an minus *l. ult.* §. *ult. C. h. tit.*. Num idem dicendum ſit de peculio quaſi Caſtrenſi, quod a Magiſtratibus, Advocatis, & Artium Liberalium Profeſſo- 3
ribus, & ſimilibus adquiritur, non video, cur dubitemus; non enim minus verum eſt in hoc peculii genere filium patrisfamilias loco haberi *l.* 1. §. 14. *de collat.*, §. *ult. inſt. de teſtam. milit.*: Sed utrum pro quantitate peculii ceſſare debeat hoc caſu Senatusconſultum, ut olim in filiofamilias milite obſervabatur, *d. l. 2. h. tit.*, an vero in ſolidum, adhuc quæſtioni locus eſſe poteſt, ob maxi-

mam adfinitatem, quæ inter hæc duo peculiorum genera intercedit. Nobis religio eſt a veteri jure recedere, quandiu illud expreſſe immutatum non adparet *arg. l.* 32. *in fin. Cod. de appellat.*; ſed nova Juſtiniani Conſtitutione tantum de milite filiofamilias cavetur; nihil de his, qui militare in toga dicuntur, quorum peculium eſt quaſi Caſtrenſe; donec igitur ſimilis conſtitutio prodeat, antiquo juri quoad hoc peculium obſequemur, nec ultra ejus quantitatem filiumfamilias teneri conſtanter tuebimur, *arg. d. l.* 2. *h. tit. & d. l.* 32. *Cod. de appellat.*. Ad hæc ne eadem quidem utriuſque peculii ratio eſt; nam ideo vult Imperator in perſona militis filiifamilias mutuum conſiſtere in ſolidum, quia *ex præſumtione omnis miles non creditur in aliud quidquam pecuniam accipere, & expendere, niſi in cauſas Caſtrenſes d. l. ult. §. ult.*; hæc ratio mirifice convenit militibus, qui ſub armata militia ſtipendia merent, quippequi ex inſtitutis, & diſciplina militari Romanorum ſemper in Caſtris verſabantur, militiæ laboribus perpetuo exercebantur, nec, niſi impetrato commeatu, abeſſe poterant; quo fiebat, ut nec facile viderentur pecuniam creditam in alios uſus impendere poſſe, quam in res ad Caſtra, & ad vitam Caſtrenſem perti-

nentes,

nentes. Qui vero in Toga militant, libere in
Civitate verſantur, libere exeunt, ac redeunt,
&, ut paucis dicam, non minus obvius eſt illis,
ac liber luxus, atque convictus urbanus,
quam cæteris filiisfamil.; quare pro peculii ex-
ceſſu eodem jure cenſentur, quo cæteri filii-
familias. Plane ex his recte colligimus Sena-
tusconſultum non offendere, qui filio eman- 4
cipato pecuniam crediderit, nam etſi pericu-
lum ſit, ne pecuniam acceptam male conſu-
mat, ac prodigat, imo & opportunior ei lu-
xuriæ, ac corruptelæ occaſio eſſe videatur;
conſilium tamen, & ratio Senatusconſulti co-
gnita rem expedient: *Senatusconſultum of-
fendit*, inquit Ulp., *is ſolus, qui mutuam
pecuniam filiofamilias dedit, quia pecuniæ
datio parentibus eorum pernicioſa viſa eſt
l. 3. §. 3. h. tit.*: hic Ulpiani locus ſi con-
jungatur cum Juſtiniano *in §. penult. inſt.
quod cum eo &c.*, probe intelligemus duas
fuiſſe cauſas inducendi Senatusconſulti; lu-
xuriem nempe, ſeu corruptelam filiorum-
familias, & periculum, quod inde paren-
tibus naſcitur, quarum neutra in filio eman-
cipato obtinet: ſcilicet, qui ſui juris fa-
ctus probe ſcit futurum, ut pecuniam,
quam accipiet, de ſuo dependere cogatur
conventus, timidius certe mutuum ſumet;
ut autem id non metuat, & luxuriæ dedi-

tus ſua, & aliena æqua cupiditate profundat, periculum tamen vitæ parentis domeſticum, quod per emancipationem ſublatum eſt, hic non metuitur, quia quum emancipatus in aliam familiam tranſeat, & domum, non magis hujus inſidias vereri poteſt, pater, quam extranei cujuslibet, quod in eo, qui in eadem domo eſt, dicere neutiquam convenit.

CAPUT.

CAPUT XV.

De filiofamilias, qui debitum agnovit.

SUMMARIUM.

1. *Ceſſare SC., ſi filius ſui juris factus debitum agnoſcat.*
2. *Quandonam filius debitum agnoſcere intelligatur?*
3. *Agnitionis argumentum eſt* I. *novatio a filio facta: quis novationis effectus?* II. *conſtitutum n.* 4. III. *ſolutio totius, vel partis n.* 5.
6. *Num quando debiti pars ſoluta eſt, pro ea tantum parte, an in totum ceſſet SC. ſerio diſquiritur? Collata* l. 7. §. ult. *cum* l. 9. in princ. h. t.
7. *Parte debiti ſoluta in totum ceſſare SC.; re vero pignori obligata SC. exceptionem denegari uſque ad pignoris quantitatem, & quare?*
8. *Qui fidejuſſorem dat, debitum agnoſcit.*
9. *Si filius adhuc in poteſtate conſtitutus debitum agnoſcat, nihil agit.*

Digitized by Google

1 ALtera exceptio ex perſona filii eſt, ſi is ſuæ poteſtatis conſtitutus debitum agnoſcat; agnitio enim hujuſmodi hoc habet proprium, ut debitum, quod ambiguum erat, & incertum, confirmet, ac certum conſtituat, perinde ac ſi a patrefamilias eſſet contractum *l.* 2. *Cod. h. tit.* Siquidem aut nova inde obligatio naſcitur, aut certe novum contrahitur mutuum, quorum neutrum ad Senatusconſulti prohibitionem pertinet: nova naſcitur obligatio, ſi filiusfam. ſtipulanti creditori promittat, vel illi ſe ſoluturum conſtituat: novum mutuum contrahitur, ſi convenerit, ut pecunia, quæ filiofamilias data eſt, ab eo retineatur ut mutua; nam hic primum pecunia filio dari videtur *arg. l.* 9. §. *ult. de reb. credit. l.* 9. §. 5. *de acquirendo rer. dom.*. Agnoſcere autem debitum intel-
2 ligitur filius, quum ſe mutuum, quod accepit, debere ingenue fatetur, & ſe ſolutioni paratum oſtendit; quod ut variis modis contingit, ita noſtram expoſcit diligentiam, ut in illis exponendis, ac lucubrandis paullulum immoremur.

Primum igitur agnoſcit debitum filiusfam.,
3 ſi novationis cauſa ob eamdem pecuniam, quam mutuam accépit, creditori fidem ſuam obligavit *d. l.* 2. *Cod. h. tit.*: jam enim diſſoluta eſt vetus mutui obligatio, quæ prohi-

bente

bente Senatu contracta eſt a filiofamilias, novaque exſurgit facta a patrefamilias, quam Senatus nec vetat, nec improbat; hic eſt novationis effectus, ut quum fiat per ſtipulationem, ex qua jure Civili actio naſcitur *l.* 1. §. 1. *l.* 2. *l.* 5. 6. 7. 11. & *paſſim de novat. l.* 3. 7. & *ult. Cod. eod. l.* 6. *Cod. ſi certum petat.* nova obligatione conſtituta priorem perimat *d. l.* 1. *de novat.*. Quo fit, ut commoda omnia, & incommoda, quæ prioris obligationis fuerunt, ſimul evaneſcant, proindeque exceptio etiam, qua prior obligatio infirmari poterat, extinguitur, ut & pignora, & fidejuſſores, qui prioris firmandæ obligationis cauſa acceſſerunt *arg. l.* 8. 15. 18. 27. 29. *de novat. l.* 43. *de ſolut.*; propterea mutuo per novationem ſublato, extinctaque Senatusconſulti exceptione, quæ ex ipſo mutuo filiofamilias competebat, nova oritur obligatio, qua is efficaciter adſtringatur. Verum ponamus filiumfamilias ſui juris factum ſine ulla novatione, vel ſtipulatione conſtituere ſolo pacto ſe, quam accepit, pecuniam ſoluturum creditori, numquid tenebitur? reſponderi abſque hallucinationis periculo poteſt, eum debitum agnoviſſe videri, quippequum ex conſtituto prodita ſit actio conſtitutoria *l.* 1. *in princ.* §. *pen.* & *ult. de pec. conſt.* §. 9. *inſt. de act.*, & alioqui con- 4

ſtitutum intelligi nequeat, niſi ejus, quod quis agnoſcit ante debitum fuiſſe *l.* 5. §. 2. *l. ult. de pec. conſt. l.* 2. *Cod. eod.*, vix eſt, ut qui ſe ſoluturum conſtituit, debitum agnoſcere, firmare, ac ſtabilire non videa-
5 tur. Idem plane dicendum, ſi filiusfam. patria poteſtate liberatus bonam fidem agnoſcens debitum ſolvat; quum enim ſolutio nulla intelligatur, niſi ejus, quod debetur, *princ. inſt. quibus mod. toll. oblig.*, manifeſtiſſimum, qui ſolvit, exhibet agnitionis debiti argumentum: & quidem ſi totum ſolvit, quod accepit, nulla dubitatio eſt, quin totum agnoviſſe videatur debitum. Quid vero ſi partem? *Ceſſabit Senatusconſultum, nec ſolutum repetere poteſt*, inquit Ulpianus *l.* 7. §.
6 *ult. h. t.* Sed num in parte ſoluta tantum, an in totum ceſſet, adeo ut quandoque reliquum repoſcenti creditori denegetur actio ex Senatusconſulto, hoc eſt, de quo nervoſe contendunt Interpretes. Viſum eſt nonnullis in eo tantum, quod ſolutum eſt, quieſcere Senatusconſultum; in eo vero, quod reſtat ſolvendum, locum habere, idque ex eo manifeſtum fieri exiſtimant, quod Ulpianus de parte duntaxat debiti ſoluta ſermonem inſtituit; ac propterea, dum ſubjicit, ceſſare Senatusconſultum, nec ſolutum repeti poſſe, non alio, quam ad partem ſolutam referri

poſſe

poſſe *d. l. 7. §. ult.*. Aſt ſi ſolidam veritatem inveſtigamus, nec latibula, aut ſubterfugia quærimus, verius longe reſpondebimus, parte debiti ſoluta, omnino ceſſare Senatusconſultum, atque integrum debitum eſſe ſolvendum: hoc autem primum ex illis verbis ſuaderi videtur abſolute, ac generaliter prolatis, *ceſſabit Senatusconſultum*; nec enim Ulpianus accuratiſſimus Interpres illud innuere ſuperſediſſet, ſi pro parte tantum ceſſaret, quæ ſoluta eſt, pro reliquo adhuc vim ſuam haberet; dein id manifeſtius eodem Ulpiano auctore oſtenditur in *l. 9. h. tit.* ibi: *ſed etſi paterfamilias rem pignori dederit, dicendum erit Senatusconſulti exceptionem ei denegandam uſque ad pignoris quantitatem*; particula adverſativa ut contrarii juris conjecturam ſuppeditat, ita aperte declarat Jureconſultum contrarium ſenſiſſe in ſpecie præcedenti, ubi filiusfamilias partem debiti ſolvit. Ad hæc quum ceſſare Senatusconſultum nihil aliud ſignificet, quam exceptionem denegari a Senatu propoſitam, hæc autem exceptio ad partem quidem, quæ adhuc ſolvenda ſupereſt, neutiquam vero ad eam, quæ jam ſoluta eſt, referri valeat, quia poſt ſolutionem nulli exceptioni eſt locus, clare liquet, Ulpianum, dum ait Senatusconſultum ceſſare, de ea parte indubitate loqui, quæ non-

nondum ſoluta eſt, quippe cui ſoli ceſſatio Senatusconſulti poteſt adcommodari; hoc tamen nemo, quod ſciam, hactenus obſervavit.

Intelleximus parte debiti ſoluta in totum
7 ceſſare Senatusconſultum, itaut filiusfamilias ſui juris factus non modo ſolutum repetere nequeat, ſed etiam de reſiduo a creditore conveniri poſſit; re vero pignori data Senatusconſulti exceptionem denegari uſque ad pignoris quantitatem *l.* 7. §. *ult. l.* 9. *h. tit.* utraque deſumpta ex Ulp. lib. 29. ad Edictum; at diverſitatis rationem nondum intelleximus, quæ cæteroqui ex diverſa a pignore ſolutionis natura facile, ni valde erro, colligitur: qui partem debiti ſolvit, eo ipſo, quod adjicit ſe partem ſolvere ejus, quod debet, manifeſte declarat, ſe non illam partem tantum debere, ſed totum debitum agnoſcit: pars enim niſi totius, cujus pars ſit, intelligi nequit. Qui e converſo pignus dat, non adjicit pro toto debito, aut pro debiti parte, ſed ſimpliciter ſe pignus dare adjicit, atque in ambiguo relinquit utrum pro toto debito, an pro debiti parte pignus dederit, qua in ambiguitate nemo tam ſeverus, qui pro debitore non reſpondeat, dubiam illius, aut non ſatis apertam voluntatem ad pignoris modum coarctando *d. l.* 9. §. *ult.*, atque ita receptam juris regulam ſubvertere non erubeſcat, qua tradi-

traditum in ambiguis eam capi interpretationem oportere, quæ pro debitore facit, ut minimum debeat *l.* 9. *l.* 34. *de reg. jur.*. Paucis: propius ad obligationem accedit ſolutio, quam pignus, dum illa obligationem diſſolvit, iſtud confirmat; ex majori propterea unius, quam alterius cum obligatione propinquitate efficaciorem quoque colligimus in filiofamilias debiti partem ſolvente, quam pignus dante debito vilius contractum confirmandi voluntatem. Quod de pignore diximus, idem de fi- 8
dejuſſoris datione intelligendum omnino eſt: namque fidejuſſio eſt acceſſio principalis obligationis, quæ illius firmandæ cauſa interponitur §. 5. *inſt. de fidejuſſ.*, ut merito exiſtimes, eum, qui fidejuſſorem dat, eo ipſo teſtari obligationem præceſſiſſe, quam ratam eſſe velit. Cæterum quod diximus ob filii agnitionem ceſ- 9
ſare Senatusconſultum, caute animadvertendum eſt in eo tantum obtinere, qui emancipatione, vel alia ratione ſui juris factus debitum adprobavit *d. l.* 2. *Cod. h. tit.*: Si quum patriæ poteſtatis nexibus teneretur, id fecerit, nihil agit; nam ſive nova per hanc agnitionem inducatur mutui obligatio, ſive confirmetur vetus in fraudem Senatusconſulti, ſemper verum eſt Ampliſſimum Ordinem reclamare *arg. l.* 29. *& ſeq. de legib. l.* 5. *Cod. eod.*

CAPUT

CAPUT XVI.

De filiofamilias, qui quum adhuc in poteſtate eſſet, debitum ſolvit: conciliata l. 9. §. 1. h. tit. *cum* l. 14. de reb. cred.

SUMMARIUM.

1. *An ſi filiusf. adhuc in poteſtate Conſtitutus mutuum ſolvat, illud repetere poſſit?*
2. *Diſcriminis ratio inter filiumfam. mutuum, quod accepit, ſolventem, & mulierem, quæ pro alio interceſſit, & ſolvit.*
3. *An patri, quod a filio ſolutum eſt, repetitio detur?*
4. *Compoſitum Juliani diſſidium in* l. 9. §. 1. h. tit. *cum Marcello in* l. 14. de reb. cred.

Non

NOn inepta, nec injucunda eſt quæſtio, num ſi filius adhuc in poteſtate con- 1
ſtitutus debitum ſolverit, ad repetendum admittatur? Ulpianus aperte pronunciat eum non repetiturum, quia naturalis obligatio ſubeſt, qua repetitio excluditur *l.* 9. §. *penult. l.* 10. *h. tit.*, nec ea ratione turbatur Jureconſultus, quod filius perpetua exceptione tutus ſit, perpetua autem exceptione munitus repetendi, quod per errorem ſolvit, facultatem retineat *l.* 40. *de condict. indeb.*: etenim propoſita regula in his demum recepta, in quorum gratiam eſt ipſa exceptio introducta, ad eos neutiquam protrahenda eſt, qui propter ſuorum creditorum odium a ſolutione excuſantur, cujus generis ſunt filiif., de quibus agitur, quippe qui & odio digni ſunt, & malitiæ, cui Senatus obviam ire ſtuduit, conſcii plerumque, atque participes: Accedit inſuper ex adverſo fraus creditorum major illa quidem, & improbior: in hoc propterea conflictu ſic rem temperari placuit, ut, quod dediſſent creditores, ejus condicendi facultatem amitterent, quod ſolutum, redditumque ipſis eſſet, filii non repeterent; nec enim Senatui propoſitum fuit filiosfam. exonerare, ſed pœnam creditoribus adjicere voluit. Illud vero prætermittendum non eſt, in hac re 2
longe

Digitized by Google

longe diverſam eſſe cauſam filiifamilias mutuum, quod accepit, ſolventis, a muliere, quæ pro alio interceſſit, & ſolvit; hæc enim ſolutum per errorem repetere poteſt, ille non poteſt: Diſcriminis ratio elegantiſſima eſt: mulier nihil habet de alieno, nec accepit quidquam, ſed accipienti tantum auctoritatem, & fidem adhibuit; quod igitur ex ea cauſa ſolvit, æquum eſt eam repetere; filius vero, qui mutuum ſibi accepit, obſtrictus eſt juris vinculo, quod ſuum cuique tribui jubet; ſiquidem naturalis æquitas repugnat, ut qui accepit alienum, non teneatur reddere, nec ulla eſſe poteſt legum tanta auctoritas, qua hoc jus naturale tollatur, aut immutetur, quæ cauſa eſt, cur filius ſolutum non repetat: acceperat enim, & idcirco naturaliter erat obligatus *d. l.* 10.
3 *h. tit.* Plane ſubtilior in eo deliberatio eſt, an patri quod a filio ſolutum eſt, repetendi facultas concedatur, quam ipſi filio denegavimus? Et quamvis de hoc paullo obſcurius Veteres Interpretes ſcripſerunt, ita tamen definiendum eſſe exiſtimarem: vel filiusfamilias ſolvit de ſuo, de peculio nempe Caſtrenſi, vel quaſi Caſtrenſi, vel adventitio extraordinario, & abſque hallucinationis periculo reſponderi poteſt, dominium ita in accipientem transferri, ut quum nihil

juris

juris in hoc peculiorum genere pater habuerit, nulla quoque illi eo nomine ſuperſit vindicatio tamquam de re ſua, aut tamquam de re a ſe profecta condictio, *arg. l.* 1. §. 15. *de collat.* §. 1. *inſt. per quas perſon. l.* 1. & 3. *Cod. de Caſtr. pec.*. Idem ajo de pecunia ea conditione filio donata, ut eam creditori ſolveret: nam illius ſemel ſolutæ vindicatio, aut condictio patri dari nequit, quia videtur pecunia ſtatim a donatore in creditorem profecta, quaſi nec interpoſita filiifamilias perſona, aut ſaltem quaſi electo nudo illius miniſterio recta ad creditorem perveniſſe videatur *l.* 9. §. 1. *h. tit.*. Quod ſi contemta lege donationi dicta filiusf. pecuniam creditori haud ſolverit, vindicatione, ſi adhuc extat, condictione, ſi conſumta ſit, a creditore convenietur, *arg. l.* 39. *de oblig. & act.*. Verum ſi filiusfamilias de re, cujus dominium ſit patris, creditori ſolvit, veluti ſi extraneus nummos ſimpliciter, nec adjecta conditione, ut creditori ſolveret, filiofamilias donaverit, is autem creditori ſolverit, quum eorum alienatio filio eſſet interdicta, patri, ſi adhuc extant, nummos vindicanti nulla exceptio objicietur, quum dominium nummorum, quod ſolutionis tempore patris fuit, transferre in accipientem filius non potuerit: ſi a creditore conſumti ſint,

Julia-

Julianus ait condictionem patri ex omni eventu competere *d. l.* 9. §. 1. *h. tit.*. Marcellus aperte negat, *l.* 14. *de reb. cred.* utraque depromta ex eodem Ulpiani lib. 29. ad Edictum. Mirabile dictu eſt, quot gloſſemata excogitaverint Interpretes, ut hæc juris capita in concordiam revocarent, quorum duo tantum velut celebriora ſubjiciemus: Putant nonnulli ſupervacuum eſſe viam componendi ſollicite quærere, quando Jureconſulti voluerint eſſe contrarii, proindeque Marcellum a Juliano diſſenſiſſe agnoſcunt; Diſſidii conjecturam inde promunt, quod obſervant Marcellum adeo Juliani dicta ſolitum carpere, ut pro ſummæ veritatis argumento ab aliis juris auctoribus adferatur Juliano conſentire Marcellum *l.* 2. §. 1. *in fin. de nox. act.*. Sed hoc vix probabile eſt, quandoquidem Ulpianus, qui in eodem lib. 29. ad Edictum utriuſque ſententiam refert, utramque probare videtur, dum neutram reprehendit: Viſum eſt aliis Accurſii Dogmata ſectantibus, creditorem, qui bona ab eo, qui mala fide pecuniam conſumſit, ſecernere, ut illum neque condictione furtiva teneri exiſtiment propter bonam fidem, neque condictione ex conſumtione, quoniam, ut Marcellus ait, *toties condictio datur, quoties ex cauſa nume-*

numerati ſunt nummi , ex qua actio eſſe potuiſſet , ſi dominium ad accipientem tranſtuliſſet ; in propoſito autem non eſſe , d. l. 14.; qui ex adverſo ſciens nummos patris eſſe, conſumſit, teneri condictione furtiva ob malam fidem, non autem condictione ex conſumtione ob allatam Marcelli rationem, quæ non minus in hoc, quam in altero caſu locum habet, ſicque Marcellum de creditore accipiunt, qui bona fide pecuniam conſumſit *d. l.* 14., Julianum de eo, qui ſcienter, & mala fide *d. l.* 9., §. 1., cujus rei conjecturam colligi inde poſſe autumant, quod Julianus quærit, an creditor tutus ſit, non quidem propter bonam fidem, ſed quia pecunia, quam acceperat, non erat a patre profecta, quippequæ filio fuerat ab extraneo ſimpliciter donata, non in eam cauſam, ut ſe ære alieno exoneraret, adeoque haud videbatur pater eam conſumtam poſſe repetere, quamvis creditor bona fide careret. Hujuſmodi diſtinctionem etſi lubens aliquando ſecutus ſum, nunc tamen, re paullo ſerius examinata, minime inverecundum exiſtimo, Papiniani, atque Ulpiani exemplo *l. 6. de ſerv. export. l.* 92. *de cond. & demonſtr.* ab eo, quod ſemel placuit, fortiori fortaſſe ratione recedere, nam, ſi quod ſentio, ingenuo animi

 can-

candore proferre liceat, dicam magis divinationis traditam diſtinctionem plenam eſſe, quam veram, aut veriſimilem; nam præterquamquod qua fide creditor acceperit, altum apud utrumque Jureconſultum ſilentium, illud animadverto Ulpianum ex Juliano reſpondere, *condictionem patri ex omni eventu competere*, *d. l.* 9. §. 1. ideſt *omnimodo*, & *ad extremum*, quod Galli dicerent, *au pis aller*; adeoque ſive extet pecunia, ſive conſumta ſit, ſive eam bona, ſive mala fide creditor acceperit, nihili refert. Plauſibilius igitur erit, longeque probabilius, ſi dixeris Marcellum de condictione loqui ex mutuo per conſumtionem reconciliato, quod tum ex titulo, ſub quo locata lex eſt, tum ex antecedentibus legibus 11. 12. & 13. *eod. tit. de reb. cred.* de hac mutui reconciliatione loquentibus, tum demum etiam ex ſubjecta ratione, quæ ad nullam aliam, quam ad hanc condictionis ſpeciem referri poteſt, non obſcure ſuaderi videtur; Julianum e converſo in *l.* 9. §. 1. *h. tit.*, contendere ex omni eventu condictionem patri dari: ejus ſententiæ hic ſenſus eſt: ſi filiusfamilias pecuniam, cujus alienationem non habuit, creditori ſuo ſolverit, a quo contra Senatusconſultum acceperat, eamve creditor conſumſerit, nulla quidem ex hujuſmodi

con-

conſumtione naſcitur favore patris condictio certi ex mutuo, quia eo animo nec data fuit, nec accepta pecunia (quod cæteroquin omnino requiritur *l.* 19. *de reb. cred.*) ut in creditum iretur, & mutuum contraheretur, ſed ut debitum ſolveret filiusfamilias *d. l.* 14. Verum condictionem ex Jure Gentium adverſus omnes comparatam, qui ex non juſta cauſa poſſident, ex omni eventu patri competere æquiſſimum eſt *d. l.* 9. §. 1. *h. tit.*, quum patris reſpectu, qui nec civilis, nec naturalis obligationis nexu adſtringitur, ex non juſta ſane cauſa poſſidere creditor videatur, *l.* 25. *rer. amot. l.* 32. *de reb. cred.* Atque hæc expeditior, ac commodior eſſe videtur conciliandi ratio omnibus, quas hucuſque attulerint Interpretes.

CAPUT XVII.

De eo, qui ſui juris factus per errorem debitum agnovit.

SUMMARIUM.

1. Non *ceſſat SC., ſi quis filiusf. ſui juris conſtitutus errore facti lapſus debitum agnovit.*
2. *Quando juſtus error facti in propoſito cenſeatur?*
3. *Quid, ſi per errorem juris debitum agnovit?*
4. *Juris errorem adquirere volentibus non prodeſſe, in damnis vero amittendæ rei ſuæ non nocere.*
5. *Filius, qui mutuum ſe ſoluturum promiſit, non præterito damno relevari, ſed futurum vitare contendit.*

Quod

Quod ſuperius dictum eſt in eo, qui paterfam. factus novavit, vel alias agnovit obligationem pecuniæ creditæ ceſſare Senatusconſultum, ita verum eſt, niſi juſto errore facti lapſus agnoverit obligationem, qua ſe teneri putabat; nec enim promiſſione imprudenter emiſſa eum teneri æquitas patitur, nec videtur ratum habere, quod factum eſt, qui ignorat *l.* 15. *de jurisdict.* *l.* 116. *de reg. jur.*. Quamobrem ſi ex ea ſtipulatione per errorem facta petatur, doli mali, aut in factum exceptione utendum erit *l. ult. h. tit.* Quamquam tamen qua fronte poſſit filiusfamil. ſui juris factus proprii ſui facti ignorantiam obtendere *l.* 7. *ad Senatusconſ. Vellejan.*? facti ſiquidem alieni ignorantia tolerabilis eſt, *l.* 3. *de jur. & fact. ignor. l. ult. pro ſuo*, ſed in facto proprio neutiquam ferenda eſt, *l.* 13. §. 6. *l.* 19. §. 1. *locat. l.* 46. *de acq. hæred.*. Non eſt, cur hæreamus: poteſt juſta facti ignorantia in propoſita ſpecie contingere variis modis. Finge enim primo falſo rumore perlato nuntiatum eſſe filiofamilias non incerta fama, ſed conſtanti opinione patrem vel ab hoſte interfectum, vel obſidione conſumtum obiiſſe, qui tamen adhuc viveret, quemadmodum e contrario patri de morte filii falſum e Caſtris nuncium aliquando latum fuiſſe accepimus.

mus, *Val. Max. lib. 7. memor. cap. 7. n. 1.* Filium vero in ea opinione mutuam pecuniam accepiſſe, poſtea patrem fato vere functum eſſe, ac filium, qui revera ſacris paternis liberatus erat, in eamdem pecuniam ſe obligaſſe: finge rurſus filiumfamilias exiſtimaſſe patrem ei mutuo aſſenſiſſe, aut in rem patris verſum eſſe, ſicque juſta ratione arbitrantem ſe nullam Senatusconſulti exceptionem habere, novatione facta, denuo promittere, quum ſit paterfamilias? Annon his, & ſimilibus caſibus juſtus eſt error facti? Annon propterea æquum eſt ei propoſita
3 exceptione ſuccurri? At quid ſi per errorem juris, utputa quum filius non rite a patre emancipatus foret, eaque propter in poteſtate maneret, pecuniam mutuam eo tempore accepit, dein poſt patris obitum eamdem expromittat? Movet illud primum, quod Pomponius dum ignoranti exceptionem tribui respondet, de eo nominatim loquitur, qui facti errore lapſus eſt, de errore juris nihil omnino adjicit, *d. l. ult. h. tit.*. Dein quod juris ignorantia ſcientiæ comparatur, veniam non meretur, & neminem excuſat, *l. 48. de fidejuſſorib.*; excepto tamen minore *l. 9. in princ. de jur. & fact. ignor. l. 2. & 11. C. eod.*, milite, muliere, & ruſtico, *l. 9. in princ. & §. 1. eod. l. ult. Cod. eod.*. Sed

hæc

hæc moram non faciunt, nec impedimento
ſunt, quominus Pomponii ſententiam de er-
rore facti ſimpliciter conceptam ad juris er-
rorem producamus. Traditum eſt, quis igno- 4
rat? in gerendis negotiis juris errorem non
prodeſſe adquirere volentibus, in damnis ve-
ro amittendæ rei ſuæ non nocere *l.* 7. *l.* 8.
in fin. l. 9. §. 3. *de jur. & fac. ignor. l.* 79.
de leg. 2. eumdem Papinianum præferente
auctorem; Qua ratione nemo prohibetur
rem ſuam apud alium exiſtentem vindicare,
ſuamve petere hæreditatem ab alio per diu-
turnum tempus poſſeſſam, quamvis juris
ignoratione lapſus poſſeſſorem rerum illa-
rum dominum eſſe exiſtimaverit: & e con-
verſo, ſi quis errore juris exiſtimans hære-
ditatem aliquam ad ſe pertinere, eam diu-
tius poſſederit, & fructus inde perceptos
conſumſerit, de his non tenetur, quatenus
factus non eſt locupletior, quia error juris in
damnis amittendæ rei ſuæ non officit, *l.* 25.
§. 6. *j.* §. 11. *de pet. hæred.*. Aliud obtinet in
damnis rei jam per errorem juris amiſſæ, quip-
pe cujus recuperationi ipſe error obſtat, un-
de Paullus pro regula generatim tradit *erro-
rem juris nocere d.l.*9. *de jur. & fact.ignor.j. l.*2.
C. eod.. Hinc Ulpianus ſcribit, eum, qui ju-
ris ignorantia patremf. eſſe credidit, cui mu-
tuum numerabat, cum filiusf. eſſet, Mace-

doniani exceptione perinde repellendum, ac ſi vel ſciens, vel vana ſimplicitate deceptus filiofamilias mutuum dediſſet *l.* 3. *in princ. h. tit.*: preſſius: longe facilius damnum effugere, quod impendit, quam eo liberari, quod jam evenit, *arg. l.* 8. *de condict. ob turp. cauſ. l.* 33. *de condict. indeb.*: juris ignorantia efficere quidem poteſt, ne in damnum labamur, quod nobis inſtat, neve rem amittamus, quæ nondum e noſtro patrimonio abſceſſit *d. l.* 8. *de jur. & fact. ignor.*, ibi: *in damnis amittendæ rei ſuæ*; At facere nequit, ut damno ſubtrahamur, quod paſſi ſumus, vel ut rem, quam
5 ſemel amiſimus, recuperare valeamus. Porro autem certiſſimum eſt, filium, qui ſui juris factus promiſit ſe ſoluturum pecuniam, quam, dum adhuc in ſacris paternis conſtitutus eſſet, mutuam accepit, non id agere, ut damno præterito relevetur; Quum enim nondum ſolverit, pecuniam non repetit tamquam amiſſam, ſed ex promiſſione convenitur, ut ſolvat, ideſt ut ſolvendo amittat, in quod damnum ne incidat, ſollicite laborat; nihil propterea cauſæ eſt, cur juris imperitiam illi perniciosam eſſe exiſtimemus.

CAPUT

CAPUT XVIII.

De patre, qui mutuum a filiofamilias acceptum agnovit, vel illi mutuum accipienti conſenſit.

SUMMARIUM.

1. *Ceſſat SC., ſi mutuum a filiof. voluntate patris acceptum, aut in rem ejus verſum ſit.*
2. *Quandonam voluntate patris acceptum dicatur?*
3. *Oſtenditur diſcrimen inter agnitionem debiti a filio factam, & agnitionem, vel ratihabitionem patris:* 4. *Diſcriminis ratio explicatur.*
5. *Solvitur objectio.*
6. *Quid juris, ſi pater, qui alicui mandaverat, ut filio ſuo pecuniam crederet, mandatum revocaverit, re adhuc integra?*
7. *Conciliata* l. 4. de man. vind. *cum* l. 12. h. t.

Qui

QUi Senatuſconſulti Macedoniani ſententiam penitus, ac ſerio perſpicit, qua parte patrem reſpicit, & prohibet pecuniam mutuam dari non cuivis filio, ſed filiofamilias, ideſt ei ſoli, qui in poteſtate patris eſt conſtitutus, is probe animadvertit Senatum actionem denegaſſe de pecunia filiofamilias credita potiſſimum cauſa, & beneficio patris, a cujus capite inſidiarum periculum, quod illi parabatur ex corruptela, ac luxurie filiifamilias, cui æs alienum cauſam præbebat, avertere voluit; hujus vero periculi metus jam abeſſe intelligitur, ſi
1 mutuum voluntate patris contractum, aut in rem ejus verſum eſſe dicatur *l.* 7. §. 11. *v. quamquam*, & §. 12. *j. l.* 12. *h. tit. l.* 2. *Cod. eod.*; de mutui datione, quæ patri utilis fuit, paullo inferius: de mutuo voluntate patris accepto hoc loco agendum eſt.

Voluntate patris data accipitur pecunia non ſolum, ſi is filium juſſerit mutuum ſu-
2 mere, vel ſpeciatim a certo, vel generaliter ab aliquo creditore, aut creditori mandaverit, ut filio daret *l.* 1. *in princ. quod juſſu*, ſed etiam ſi rem ſine ejus conſenſu, ac voluntate geſtam ratam habuerit, vel conſtituendo, vel novando, vel fidejuſſorem, aut pignus dando, vel totum, partemve ſolvendo *arg. d. l.* 2. *Cod. h. tit. l.* 7.

§.

§. *penult.* *l.* 18. *h.* *tit.*. Verumtamen hic
opportune diſcrimen quæritur inter agnitio- 3
nem debiti a filio factam, de qua in ca-
pite 15. actum eſt, & agnitionem, vel ra-
tihabitionem patris; nam etſi utraque in
cauſa eſt, cur quieſcat Senatusconſultum,
diſſimilis tamen longe eſt effectus agnitio-
nis filii ab effectu agnitionis patris, qui mu-
tuum filio datum poſtea agnoſcens ratum
habuit. Pater ſiquidem mutuum agnoſcen-
do illud confirmat in omnes, adverſus
quos Jure civili actio eſſe potuiſſet, niſi Se-
natusconſultum obſtaret, & non ipſe ſolum
pater tenetur, qui mutuum probavit, ſed
& filius, qui prius exceptione munitus actio-
nem haud pertimeſcebat, & præterea ejus
obligationis acceſſiones omnes, ut fidejuſ-
ſores, & mandatores: quod licet certa lege
comprehenſum non adpareat, conſtat ta-
men per rectam conſequentiam deduci ex
vulgata juris regula ratihabitionem patris in
hac re mandato æquiparari jubente *l.* *ult.*
Cod. *h.* *tit.*: etenim ſi volente, ac mandan-
te patre mutuum filiusfamilias accepiſſet, in
totum ceſſaret Senatusconſultum *l.* 7. §. *in-
terdum* 11. *h.* *tit.*, dum filius e converſo ſui
juris conſtitutus mutuum agnoſcit, quod
ignorante patre ſuſcepit, ei ſoli, non etiam
cæteris agnitio ejuſmodi nocitura eſt; pro-

pterea

pterea pater, ac fidejuſſores perinde Senatusconſulti exceptione uti poterunt, ac ſi agnitio nulla interceſſiſſet; quia generaliter probatum eſt nec filium patri ullo conſenſu, aut facto ſuo, nec debitorem fidejuſſori quæſitam exceptionem adimere poſſe *l.* 23. *Cod. de pactis l. ult. ff. eod. tit.*, nec quempiam alterius conditionem deteriorem facere *l. ſolvendo* 39. *eodem.* Nec vero pu-
4 tet quis in obſcuro eſſe tanti diſcriminis rationem, quippequam ex utriuſque agnitionis natura facile eſt colligere. Ut enim omnino quieſcat Senatusconſultum, opus eſt filiumfamilias mutuam patris voluntate, ac conſenſu ſumſiſſe pecuniam *d. l.* 7. §. 11. *in fin. h. tit. l.* 4. *Cod. eod.*; Atqui patris voluntas, ac conſenſus intercedit, nec aliter ſe geſſiſſe filius in accipienda pecunia videri poteſt, quam velit pater, dum is mutuum filio datum poſtea ratum habet *l. ult. Cod. h. tit.* Ubi Juſtinianus veterum ambiguitate deciſa perinde in propoſito mutuum confirmari per ratihabitionem patris, & validum fieri conſtituit, ac ſi ab initio illi pater conſenſum præbuiſſet; jure igitur in totum obligatio conſiſtet. Nec ullum hic ſubeſt periculum, ne exceptio Senatusconſulti filio, aut ejus fidejuſſori quæſita, illis invitis, agnitione patris adimatur; quoniam

rati-

ratihabitio patris ad contractus initium retrotracta efficit, ut ne ulla quidem videatur illis acquiſita exceptio; ſiquidem quæſita non foret, ſi res ab initio geſta eſſet voluntate patris. Diverſum eſt, quum filiusfamilias paterfamilias factus debitum agnoſcit ſolus; utut enim agnitio iſthæc mutuum confirmet hactenus, ut agnoſcenti noceat; cæteris tamen, qui non conſenſerunt, patri nempe, ac fidejuſſoribus, nocere non poteſt: quia certum eſt patrem nec conſenſiſſe unquam, nec nunc conſentire, ejuſve conſenſum agnitione filii ſuppleri neutiquam poſſe. Quod vero dicitur ratihabitionem mandato 5
comparari, parum nos movet; quandoquidem nulla eſt hic de ratihabitione quæſtio, quum mutuum non ab alio ignorantis filii nomine fuerit contractum, ſed illud filiusfamilias ſciens ſuſceperit *arg. l. 6. §. 9. de neg. geſt.* Præterea etiam dato, agnitionem filii ratihabitionem eſſe, non inde tamen fieret mutuum contra patrem confirmari, aut fidejuſſores, quum nec filii voluntate, ac mandato initio interveniente ita mutuum conſtitui potuerit, ut patrem ignorantem obſtringeret; nihil igitur reliquum, quam mutuum ſola filiifamilias voluntate contra Senatusconſultum acceptum, ejus ſui juris facti agnitione, aut, ſi mavis,

rati-

ratihabitione non latius confirmari, quam ut ſoli agnoſcenti noceat, cæteris haud nocitura.

Alia etiam hoc loco proponi quæſtio po-
6 teſt. Pater, qui Titio mandaverat, ut pecuniam filio ſuo crederet, mandatum revocavit, rebus adhuc integris, quid juris? vel creditori innotuit hæc mutatio voluntatis, vel eam ignoravit: ſi primum, locus eſt Senatusconſulto: nam revocato mandato verum eſt mutuum non datum voluntate patris *l.* 1. §. 2. *quod juſſu*; Si alterum, ceſſabit Senatusconſultum, quoniam contractus initium ſpectari placuit *l.* 12. *in fin. h. tit.*; Siquidem quum voluntas perſeverare præſumatur, quandiu mutata non adparet *l.* 22. *de probat.*, abſonum foret juſtam ignorantiam creditori ad dandum mutuum ob mandatum patris inducto, qui mutatam voluntatem divinare nec potuit, nec debuit, damnum adferre. Neminem
7 vero movere debet, quod ſcribit Julianus mutatam voluntatem patris, qui filio permiſerat ſervum manumittere, impedimento eſſe, ne ſervus ad libertatem perveniat, ſi antequam filius certior fieret, manumiſiſſet *l.* 4. *de manumiſſ. vindict.*; Etenim in manumiſſione durare oportet voluntatem patris, *nam ſi mutata fuerit* (inquit Julianus)

non

non erit verum volente patre filium manumiſiſſe d. l. 4.: Contra in Senatusconſulto Macedoniano non exigimus durantem patris voluntatem: ſat erit creditorem non ignorante patre pecuniam credidiſſe *d. l.* 12. *in princ. h. tit.*

CAPUT

CAPUT XIX.

Quid ſi pater ſcit, & patitur filium mutuum accipere?

SUMMARIUM.

1. *Adducitur dubitandi ratio, & cur ceſſet hoc caſu SC. explicatur?*
2. *Multo facilius ceſſare SC., ſi filius mutuum accipere, & pater ejus ſolvere ſolitus eſſet; & quid, ſi patris ſigillo chirographum filii obſignatum dicatur?*

Placet

Digitized by Google

PLacet ceſſare Senatusconſultum, quaſi mutuum voluntate patris datum videatur *l.* 12. *h. tit. Juncta l.* 7. §. *interdum* 11. *v. nam ſi ſcit eod. tit.*. Hoc tamen vix pronuntiato ingentem adverſariorum numerum exaudire videor uno ore exclamantium: Annon inveterata regula edocet eum, qui tacet, non fateri *l.* 142. *de reg. jur.*? Annon Edictum de exercitoria, & tributoria actione aperte voluntatem a nuda ſcientia fecernit *l.* 1. §. 20. *v. in re igitur de exercitoria actione*? Imo non ſemel, neque in una Edicti parte manifeſte invitus definitur is, qui aperte non conſentit *l.* 8. §. 1. *de procuratoribus*, *l.* 5. *de ſervit. præd. urban.*? Si ergo qui ſcit, & tacet, invitus eſt, velle, aut conſentire dici neutiquam poteſt: hæc illi. Verum, ſi ſuperis placet, vincam ratione, non clamore; ſuperiora argumenta, ut verbo dicam, rectiſſime procedunt in iis, qui aut quod geritur, prohibere non poſſunt, aut ratione officii de ſua voluntate teſtari neceſſe non habent. At ſi quis prohibere poteſt, & pro officio debet, eo ipſo, quod ſcit, nec prohibet, certe conſentire intelligitur. Nota ſunt exempla hujuſmodi in *l.* 13. §. 1. *de his qui not. infam. l.* 3. §. 4. *de nox. act: l. unic. in fin. furti adverſus naut.*. Huc vero referre poſſum mutuum a filiofam. patre ſciente, nec

contradicente acceptum ; quum enim ſciret pater filio mutuam pecuniam dari, jure poteſtatis utens prohibere poterat, ne filius acciperet, adeoque illi imputandum, cur non ſtatim prohibuerit, aut ſaltem cur non continuo teſtationem interpoſuerit contrariæ voluntatis juxta *l.* 16. *h. tit.*: Imo ſicut prohibere poterat, ita pro officio debebat ; boni ſiquidem parentis eſt moribus liberorum vigilare, ne ære alieno, aliiſque illecebris corrumpantur ; nudam propterea illius ſcientiam, ac patientiam hoc caſu pro expreſſa voluntate haberi oportere Veteres rectiſſime judicarunt, *d. l.* 12. *h. tit.*. Simile exemplum proponit Scævola in *l.* 12. *de evic.*, ubi nuda ſcientia, ac præſentia cohæredum nocet,
2 niſi ipſi diſſenſerint, vel contradixerint. Denique multo facilius, quam ex nuda ſcientia, ac patientia hic tacitus patris conſenſus præſumitur, ſi de filiof. agatur mutuum accipere conſueto, & pater ejus ſolvere ſolitus eſſet, *arg. l. ult. quod juſſu*, *arg. l.* 7. §. 13. *h. tit.*; ex eo vero ſolo conſenſus patris minime probatur, quod ejus ſigillo chirographum filii obſignatum proponatur, ſi non ex aliis probationibus adpareat conſenſum patris interveniſſe, ut eleganter obſervat Fab. *lib.* 4. *C. tit.* 20. *defin.* 3.

CAPUT

CAPUT XX.

De Verſione in rem patris.

SUMMARIUM.

1. *Ceſſat exceptio SC., ſi pecunia filiof. credita in rem patris verſa eſt.*
2. *Quando pecunia in rem patris verſa dicatur?*
3. *Ceſſat SC., ſi pecunia filiofam. ſtudiorum cauſſa abſenti credita ſit. Quænam hoc caſu concurrere oporteat?*
4. *Quid, ſi filius alia, quam ſtudiorum cauſſa abſit? Et quid, ſi abſentiæ cauſſa turpis ſit, vel inutilis?*
5. *Conſectaria, quæ inde promanant.*
6. *Quid, ſi pecuniam crediderit quis filiof. ſtudiorum cauſſa abſenti, quum eum ſciret abeſſe invito patre? & quid, ſi hoc caſu ei ad ſummam inopiam redacto pecuniam ſuppeditarit?*
7. *An SC. etiamnum locus ſit, quum filius pecuniam, quam in ſtudiorum cauſſam accepit, conſumſit in luxum, aut in aliam cauſſam patri inutilem?*

Altera exceptio Senatusconſulti ex per-
ſona patris profluens eſt, ſi pecunia fi-
1 liofamilias credita in rem patris verſa eſt,
l. 7. §. 11. *v. proinde h. tit.* Quippequum
hoc caſu obligetur pater, qui pecuniæ com-
modum ſenſit, nihil illi metuendum eſt, ne
filiusfamilias æris alieni magnitudine obru-
tus ejus vitæ paret inſidias, nec enim juſtas
& validas filiorumfamilias mutuam pecu-
niam accipientium obligationes Senatus im-
probat, ſed malas tantum, atque ſuſpectas;
quæ nimirum parentibus perniciofæ videri
2 queant, *arg. l.* 3. §. 3. *h. tit.*. Verſa autem
in rem patris pecunia primum intelligitur,
ſi is inde locupletior factus ſit, aliquid nem-
pe acquirendo, quod illius patrimonio adhuc
abeſſet, quod rurſus variis exploratis modis
contingere conſtat. Quamobrem huc pri-
mum revocandum eſt Severi & Antonini
reſcriptum, ajentium Senatusconſulto locum
non fore, ſi filiusf. in eam rem pecuniam ac-
cepit, quæ patris oneribus incumberet *l.* 2.
C. h. tit., veluti ſi mutua accepta pecunia pa-
trem ære alieno liberavit, a quo creditor
nulla exceptione ſubmoveri potuiſſet *d. l.* 7.
§. 14. *h. tit.*; ex eo namque quod æris alieni
ſolutio patris oneri foret, vix dubitandum,
quia ſolutio a filiofamilias facta patri utilis fue-
rit. Idem omnino eſt, ſi filiusf. in id pecu-
niam

niam mutuam accepit , ut eam pro ſorore in dotem daret , aut etiam pro filia ſua, dum pater abeſſet , aut furore teneretur , ita tamen , ut tamquam patris negotium gerens dederit , nec plus dederit, quam pater pro filia , aut avus pro nepte daturus fuiſſet, *l.* 7. §. *fin. l.* 8. & 9. *de in rem verſo l.* 5. §. 8. *de jure dot.*; etenim quum patri, aut avo filiam, aut neptem , quas habent in poteſtate , Jure Civili dotandi neceſſitas immineat, *l.* 19. *de ritu nupt. j. l. ult. Cod. de dot. promiſſ.*, filio eorum nomine ſorori, aut filiæ ſuæ dotem dante , liberationem patri , aut avo contingere conſtat, imo eo amplius actio illis ex hoc facto quæritur ad repetendam dotem , filia, vel nepte in matrimonio defunctis *l.* 17. *h. tit.*, meliorque propterea fit eorum conditio, & ceſſat Senatusconſulti exceptio *d. l.* 17. *j.* l. 7. §. 2. *eod.*, Præterea in rem patris verſum quoque exiſtimatur, ſi filiusfamilias mutuum accipiendo effecit, ne Patrimonium patris deminueretur, quod alioqui fuiſſet deminutum . Superſedeo libenter plura hujus generis exempla recenſere, quæ refert Juriſconſultus in *l.* 3. §. 3. 6. & *paſſim de in rem verſo* , unum paullo plenius perſecuturus , quod & frequentius eſt, & notatu digniſſimum, videlicet de filiofamilias, qui quum ſtudiorum cauſa abeſſet , 3

mutuum accepit ; nam etſi in eo ceſſare Senatusconſultum generaliter reſpondet Ulp. *d. l.* 7. §. *quod dicitur l.* 13. *h. tit.* & Alexander *in l.* 5. *Cod. eod.*: nonnulla tamen concurrere opus eſt, quæ hic attigiſſe utiliſſimum erit. Primo itaque abſentiam filii deſideramus; nam ſi præſens ſit, quia præſumitur pater ei neceſſaria ſuppeditare, haud probabile eſt, eum aliena pecunia indigere; abeſſe vero ſtudiorum cauſa debet; Quandoquidem non creditur pater abſenti filio ſtudiorum cauſa recuſaturus neceſſarium, aut idoneum ſumtum, ut filii ſtudia commodius promoveantur, quem ſumtum, ut Alexander ait, patris pietas non recuſaret *d. l.* 5. *Cod. h. tit.*. Quare ſi quid filiofamilias creditum ſit ad victum, veſtitum, aut cultum dignitati familiæ, ac facultatibus convenientem, vel ad comparandos libros, vel honoraria pro collegiis ſolvenda, vel ut curaretur æger, ac Medicis honeſtas mercedes daret, veroſimile eſt patrem ſumtus hujuſmodi pro ſua dignitate, pietate, & affectu haud recuſaturum; imo vero cum filius ſtudiis operam daturus in Academias proficiſcitur, æqui, bonique facere debet pater, ſi inveniantur homines, a quibus neceſſariis in ſumtibus ſtudiorum cauſa faciendis juvetur, *arg. l.* 1. §. 2. *de exercit. act.*; ſicque pecunia in eos

uſus

uſus credita in rem patris verſa intelligitur, *arg. l.* 3. §. 3. *de in rem verſo*. Ad hæc non aliter hoc modo ceſſat Senatusconſultum, quam ſi qui filiofamilias ſtudiorum cauſa abſenti mutuum dedit, probabilem modum non exceſſerit *d. l.* 7. §. *quod dicitur* 13. *h. tit.*: ideſt non plus dederit, quam pater probabiliter daturus fuiſſet; nam eatenus duntaxat conſenſiſſe creditur *l.* 9. *de in rem verſo l.* 25. *de pignor. act.*, *l. ult. de exercit. act. l.* 14. §. 6. *de relig.*. Quid ſi exceſſerit? Puto actionem pro exceſſu denegari, quod in his, quæ dividua ſunt, utile per inutile vitiari plerunque non ſoleat, *arg. l.* 35. §. 3. *v. ſed in his C. de donat. l.* 29. *de uſur.*. Quod 4
vero ſtudiorum cauſam tantum commemorat Ulpianus *d. l.* 7. §. *quod dicitur*; non tam ſtricte, & juxta verborum corticem accipiendum eſt, ſed exempli loco adjectum cenſeri debet, ut indicaret, quod frequentius evenire ſolet, non ut aliam juſtam, ac probabilem abſentiæ cauſam excluderet; nam & in filio ſeorſim a patre legatione fungente proditum eſt ceſſare Senatusconſultum *d. l.* 5. *C. h. tit. arg. l.* 47. *in fin. de ſolut.* Quum autem juſtam ac probabilem abſentiæ cauſſam deſideremus, facile intelligimus, quid ſentiendum ſit de filiofamilias, qui turpi ex cauſa, vel animi oblectatione, vel

vana peragrandi cupidine percitus, injuſſu
patris diſceſſerit; ut enim pater in ejuſmo-
di abſentiam nihil daturus præſumitur, *arg. d. l.* 5. *C. h. tit.*; ita nimiæ ſimplicitati ſuæ
creditor tribuere debet, ſi quum ſciret in
eas cauſas haud credi licere, temto Am-
pliſſimi Ordinis Decreto credere non dubi-
5 tavit. Hinc duo potiſſimum dimanant ve-
lut legitima doctrinæ conſectaria: Primum
eſt æque repelli creditorem, qui filiofami-
lias ſe ſtudiorum cauſa abeſſe dicenti pecu-
niam credidit, quum tamen voluptatis cauſa
abeſſet, & hoc creditor ignoraret; Quum
enim abſentiæ cauſam, interrogatis ſtudiorum
Præfectis, noſſe facile potuiſſet, non auſim
aſſerere, ejus ignorantiam omni culpa va-
cuam eſſe, *arg. l. Julianus* 19. *h. tit.*

Alterum in eo ſiſtit, quod ſi filius abſit quidem ſtudiorum cauſa, ſed patre invito, qui illum nolit litteraturæ operam dare, aut non in eo loco, quem ille ſibi delegit, creditori obſtat Senatusconſulti exceptio, quia invitus pater nil fuiſſet ad eam rem ſuppeditaturus, *arg. d. l.* 7. §. *quod dicitur* 13. *h. tit. l.* 9. *de in rem verſo j. d. l.* 5. *C. h. tit.*: nec enim tenetur pater filio ad Academias proficiſcenti morem gerere, nec filium decet paternis conſiliis reluctari, quæ ſalubria, & optima reputantur; &

licet

licet ſtudiis dare operam honeſtiſſimum eſt, imo paternum officium id exigere videtur, ut liberi pro modo facultatum, & dignitate natalium bonis artibus inſtituantur *arg. l. 4. ubi pup. educ. deb.*, *l. 6. §. penult. de Carb. Edict.*, *l. 2. Cod. de alim. pupil. præſt.*, de quo elegantiſſime ſcripſit Macrobius *lib. 1.* Saturnalium ad Euſtatium filium; attamen, quod creditæ pecuniæ repetitionem parit, non ſola eſt abſentia ſtudiorum cauſa, ſed aut præſumta voluntas, aut utilitas patris in hoc mutuo interveniens, *arg. dd. ll.*; neutrum obtinet, quum filius invito patre ſe abſentem fecit, qui illum fortaſſe ſolidiori ſtudio, ex quo majorem progreſſum, utilitatemve ſuo tempore ſperaret, aut aliis bonis Artibus deſtinaverat, quibus non minus, quam litteris inſtrui, ornarique filius poſſet; rectiſſime propterea dicetur locum fore Senatusconſulto, ac denegari repetitio- 6
nem; quod tamen num æque verum ſit, ſive creditor ſciret filium ſtudioſum abeſſe invito patre, ſive ignoraret, plerique dubitant; ſed qui ſuperiora retinet, vix audire poterit creditori ſuam ignorantiam profuturam, ſi mutuum in rem patris verſum non eſſe proponatur; huc enim ſemper redit, patrem in eam cauſam daturum non fuiſſe *d. l. 7. §. quod dicitur j.*

 l. 5.

l. 5. *C. h. tit.*. Cæterum aliud foret, quoties creditor non ignorans filium invito patre abeſſe, ſive ſtudiorum, ſive alia cauſa, illi ad ſummam inopiam redacto pecuniam numeraverit, ne maleſuada fame, aut turpi egeſtate periret; nam tunc ex voto patris datam pecuniam exiſtimarem, proindeque Senatusconſulti rigorem quieſcere, quoniam haud mihi perſuadeo patrem adeo iræ impetu abſtractum ſævire in filium, qui ſtudiorum cauſa abeſt, ut priuſquam neceſſitate conſumeretur, hunc, & alium quemlibet ſumtum ejus pietas recuſaret, *arg. cit. l.* 5. *C. h. tit.*

Ex hactenus dictis facile conjicere licet, quinam effectus ſit numerationis pecuniæ, quum filiofamilias ſtudiorum cauſa peregre profecto facta eſt; ne tamen quidquam huic tractationi deeſſe videatur, jucundam ſubnectere diſputationem optimum duco, num
7 videlicet adhuc Senatusconſulto locus ſit, ſi filius pecunia, quam in ſtudiorum cauſam accepit, uſus ſit in luxuriem, aut in aliam rem quamlibet patri inutilem, illam conſumſerit? adfirmantium ſententiam non parum juvat, quod pecunia filiofamilias credita, cujus conditionem haud ignorabat creditor, ita demum Senatusconſultum ceſſat, ſi pecunia aut volente patre data, aut in

rem

rem ejus verſa ſit, & quum quæritur, an pecunia verſa ſit, nihil ad rem pertinet, quod filius ab initio pecuniam acceperit in rem patris, niſi eam re ipſa verterit *arg. l.* 3. §. 9. *de in rem verſ.*; hoc autem haud abſque ratione huc protrahi poſſe videtur: etenim dum Imperator caſum filii ſtudiorum cauſa abſentis, aut ſeorſim a patre legatione ſungentis expendens reſcribit, ſi juſſu patris mutuum datum probetur, opus non eſſe diſquirere in quos uſus verſa ſit pecunia, ſatis evidenter a contrario ſenſu inſinuat, ſi injuſſu, aut noluntate patris datum ſit, neceſſario inquirendum eſſe, in quos uſus ſit converſa. Verum etſi non inficior creditorem caute admodum inquirere oportere, an ſtudiorum, aut alia juſta cauſa, ob quam pater probabiliter impenſurus foret, revera ſubſit, necne, attamen poſita inquiſitione, & cauſæ veritate, in quam citra Senatusconſulti metum credi poterat, ſi filius in eam cauſam, quæ numerationis tempore ſuberat, pecuniam ſe accipere dixerit, atque eam mutato inde Conſilio in luxuriem perdiderit, nihil eſt, in quo creditor jure reprehendi poſſit: quid enim commune habet vita filii cum jure pecuniæ creditæ, aut obligationis? aut unde divinabit creditor, an ſtudiis navare operam velit filiusfamilias, an potius aleam exercere?

imo vero æquius eſt hoc caſu teneri patremfamilias imputaturum ſibi, cur neceſſaria filio ſtudiorum cauſa non ſuppeditaverit, quam creditorem, quod bona fide, atque in neceſſariam cauſam erogavit, amittere, *arg. l. 1. §. 9. & l. ult. de exercit. action.*: tenetur ergo creditor inquirere, in quem uſum pecuniam filiusfamilias verſurus ſit, at in quem verſa ſit, inquirere haud tenetur.

CAPUT

CAPUT XXI.

De eo, qui filiumfamilias pro patrefamilias accepit, & ad l. 3. h. tit.

SUMMARIUM.

1. *Juſta, ac probabilis creditoris ignorantia SC. exceptionem præbet, velut ſi patremfam. eſſe putavit, cui credidit. Traditur ratio hujus juris.*
2. *Quæ ſint juſtæ ignorantiæ cauſſæ, junge* n. 3.: *exponitur* l. 3. §. 2. h. tit.
4. *Ceſſat SC. in filiof. conductore vectigalium.*
5. *Creditor ſollicite inquirere debet in conditionem debitoris, an talis revera ſit, qualem ſe exhibet, & creditori ignorantiam alleganti onus probandi incumbit.*
6. *Quid juris, ſi duo ſint rei credendi, quorum unus ſciat conditionem debitoris, alter ignoret?*

Evenit

EVenit aliquando, ut creditoris ignorantia, non tamen quælibet, ſed juſta, ac probabilis, Senatusconſulto exceptionem præbeat; nam ſi cui bona fide credidit, opinatus eum ſui juris eſſe, quum tamen adhuc patriæ poteſtatis nexibus teneretur, Senatusconſulti veniam impetrabit; quippe Julianus ſcribit, ut Pomponius refert, exceptionem Senatusconſulti nulli obſtaturam, niſi ei, qui ſciret, aut ſcire potuiſſet filiumfamilias eſſe eum, cui credebat *l. penult. h. tit.* Unde Ulpianus lib. 29. ad Edictum, unde ſumta l. 3. h. tit. *Siquis*, inquit, *patremfamilias eſſe credidit, non vana ſimplicitate deceptus, nec juris ignorantia, ſed quia publice paterfamilias pleriſque videbatur, ſic agebat, ſic contrahebat, ſic muneribus fungebatur, ceſſabit Senatusconſultum*: nec multum elaborandum eſt, ut hujus juris rationem aſſequamur, quæ facile ex ipſius Senatus ſententia colligi poteſt; latum eſt Senatusconſultum, ut diximus, ad reprimendam fœneratorum audaciam, atque avaritiam, qui mutuas filiisfamilias pecunias dando, materiam peccandi malis moribus ſuppeditabant; hinc denegatæ actionis pœnam, & exceptionem in odium, & ob pœnam creditorum comparatam fuiſſe legimus *l. 1. h. tit. l. 40. de condict. indeb.*: Quænam vero audacia, quodnam avaritiæ ſtudium, quodnam de-

delictum, quinam demum diſciplinæ publicæ contemtus in eo, qui juſto facti errore lapſus putavit ſe patrifamilias credere, haud crediturus, ſi filiumfamilias eſſe non ignoraſſet? iniquiſſimum propterea foret pœnam ab eo poſcere, qui non deliquit *l.* 131. *de reg. jur.*

Juſtam vero ignorantiæ cauſam primum intelligimus, ſi is, qui credidit, minor ſit viginti quinque annis, vel in pupillari ætate conſtitutus, quibus ideo actionem haud denegari placuit, quia ſcire non potuerunt, an filiusfamilias eſſet, cui pecuniam crediderunt, ut inquit Ulpianus *d. l.* 3. §. 2. *h. tit.*; quod tamen ita accipiendum eſt, ut ſimiles videantur iis, quibus nihil ſcire datum eſt, etſi omnem diligentiam adhibuerint; nam iſti quamquam negligentes fuerunt in inquirendo ſtatu illius, cui pecuniam numerabant, a Prætore tamen ipſis cauſa cognita, data nimirum reſtitutione in integrum, ſuccurritur *d.* §. 2. *j. l.* 11. §. *ult. de minor.*; at vero ſi filiifamilias conditio ipſis ſatis innotuit, quia vix a dolo excuſare ſe poſſunt, pubes Senatusconſulto tenebitur, impubes vero Senatusconſultum alia ratione eludet, quod mutuum contrahere non dicatur *d. l.* 3. §. 2. ibi: *in pupillo autem etiam alia ratione debuit dicere ceſſare Senatusconſultum, quod mutua pecunia non ſit, quam ſine tutoris auctoritate* 2

pupil-

pupillus dat. Hac ratione Julianus ait, ſi filiusfamilias crediderit, ceſſare Senatusconſultum, quum mutua pecunia non ſit, quamvis liberam peculii adminiſtrationem habuit; non enim perdere peculium pater concedit, quum peculii adminiſtrationem permittit, & ideo vindicationem nummorum patri ſupereſſe ait *d*. §. 2. quod paternæ pecuniæ dominium filius transferre non potuit, adeoque mutuum nullum contractum eſt, cujus ſolius impediendi cauſa Senatus evigilavit, ac ſtuduit *d. l.* 3. §. 3. *h. tit.*

Haud abſimilem, nec improbabilem igno-
3 rantiæ cauſam pariunt vulgata opinio de conditione filiifamilias, & iſtius improbitas de conditione ſua mentientis: etenim ſi filiusf. publice pro patrefamilias a pleriſque judicabatur, non vano quidem rumore populi, ſed conſtanti opinione, ex eo forte nata, quod ſic judicio agebat, ſic contrahebat, ſic muneribus fungebatur, & ipſe ſui Juris ſe eſſe adfirmabat, quin ullus ei ſtatus controverſiam moverit, æquiſſimum eſt ei, qui hac vulgari fama, ac privato mendacio deceptus pecuniam credidit, ſuccurri, ne exceptio ei no-
4 ceat *l.* 3. *h. tit.*; quare Julianus ſcribit, & æquiſſimum eſt in eo ceſſare Senatusconſultum, qui filiofam. credidit, qui vectigalia conducta habebat *d. l.* 3. §. 1, *h. tit.*; Quum enim

enim non admittantur ad licitationem publicorum vectigalium, niſi quorum certa, & idonea, nec ſuſpecta ſunt nomina *l.* 9. *princ.* §. 2. & 3. *de publican.*; nomen vero filiifamilias per ſe neque certum ſit, neque bonum, niſi pater conſentiat, atque ita periculum conductionis in ſe ſuſcipiat *arg. l.* 7. *de tutel. l.* 21. *de admin. & peric. tutor. l.* 2. *l.* 17. §. 2. *ad municip.*; Clare liquet eum, qui huic filiofamilias pecuniam numeravit, juſta de cauſa exiſtimaſſe ſe patrifamilias numerare, quod & ad eum protrahendum eſt caſum, quo filiusfamilias ſe patremfamilias eſſe dolo malo dixerit, & ignoranti creditori perſuaſerit, modo is ſe ementitæ filii adſeverationi juſta ratione credidiſſe, illique ſe mendacio inductum pecuniam credidiſſe edoceat *l.* 1. *Cod. h. tit.*; Quandoquidem ſi aut ſcivit, aut ſcire potuit, nulla ratione excuſabitur *l. pen. ff. h. tit.*: ergo nimium facilis
ne ſit creditor, ut filii adfirmationibus deferat, ſed curioſus, ac ſollicitus in inquirendo, ac percunctando, an talis revera ſit, qualem ſe exhibet filiusfamilias, & ſi illum in eadem civitate patrem habere comperiat, eum conſulat, ſin minus, agnatos, cognatos, vicinoſque interroget; ab his ſiquidem de illius conditione facile certior fieri poteſt *arg. l.* 5. §. 1. *quib. ex cauſ. in poſſeſſ. eatur*; 5

Quod

Quod ſi tales perſonæ deſint, ſerio interrogandus eſt ipſe filiusfamilias, qui ſi patrem ſe habere dicat, ſed ab eo ſe eſſe emancipatum adjiciat, de tempore, loco, ratione, & modo emancipationis adhuc ab eo quærendum eſt; poſt hanc ſedulam, diligentemve creditoris inquiſitionem ſi filiusfamilias in mendacio perſeverans ſe adhuc ſui juris eſſe ſuſtineat, juſta hæc, & probabilis credulitas exiſtimabitur, quæ omnem in creditore ſuſpicionis fraudem removet *arg. l.* 2. 4. *&* 9. *de jur. & fact. ignorantia*, ſed creditori ignorantiam alleganti probandi neceſſitas incumbit *l.* 2. *de prob. d. l.* 1. *Cod. h. tit.* ibi: *crediſſe te juſta ratione edocere potes*; & recte: quia emancipatio, aliique modi, quibus patria poteſtas diſſolvitur, in facto conſiſtunt, proindeque in dubio minime præſumuntur; ut igitur in propoſito ceſſet Senatusconſulti beneficium, dolo debitoris opus eſt, ſe ſui juris eſſe adfirmantis, opinione creditoris mendacio decepti, & juſta opinionis cauſa, qua putet ſe credere patrifamilias: ſi hæc opinio aut improbabilis eſt, aut ex juris ignoratione nata, errans creditor Ampliſſimi Ordinis
6 cenſuram haud evitabit *d. l.* 3. *in princ. h. t.* Quid vero, ſi duo ſint rei credendi, ſtipulandive, quorum unus ſciat eſſe filiumfamilias, cui pecunia credebatur, alter ignoret, putetque

putetque juſto errore ductus, patremfamilias eſſe? Severius dicendum eſt utrique nocere *l. 7. §. 7. h. tit.*, non tam quod unius ſcientia alteri ſit damnoſa, quod iniquiſſimum foret *l. 5. de jur. & fact. ignor.*, quam ob conditionem obligationis, quæ una eademque in utroque reo eſſe cenſetur, quo fit ut filiusfamilias debitor ab uno credendi reo liberatus, ab utroque liberetur *l. 2. de duob. reis* §. 1. *inſt. eod.*

CAPUT

CAPUT ULTIMUM.

De filiofamilias Senatusconſulti Beneficio renunciante.

SUMMARIUM.

1. *Renunciatio filiif. non obſtat patri; num obſtet ipſi filio, quæritur?*
2. *Argumentum a SC. Vellejano deſumtum.*
3. *Occurritur objectioni promtæ ex* l. pen. C. de pac.
4. *Quid, ſi renunciatio jurata proponatur? & quid Jure Canonico obtineat?*

Supereſt

SUpereſt adhuc non otioſa, nec inepta, ſed quotidiana, ac perelegans quæſtio, quæ huic tractationi finem imponet, utrum videlicet Senatusconſultum ceſſet, ſi quo tempore mutuum ſumebat filiusfamilias, vel ex poſt illi renunciaverit? & quamquam exploratum eſt renunciationem hujuſmodi patri haud obfuturam, quum ejus conditio per filium paciſcentem deterior fieri, aut ſemel quæſita exceptio adimi ei invito haudquaquam potuerit *l.* 23. *Cod. de pact.*; in eo tamen major eſt dubitatio, an ipſi filio noceat, qui renunciavit? Sed magis eſt non nocere, quod etſi nullo, quod ſciam, juris capite diſerte confirmetur, per rectam tamen conſequentiam inde colligitur, quod Senatusconſultum non in gratiam filiorumfam. latum eſt, qui & ipſi malitiæ conſcii ſunt, ac fraudis participes, quam in odium, & pœnam creditorum, qui peſſimo exemplo fœnerabant *l.* 1. *h. tit.*, in gratiam, ac ſecuritatem parentum, in quorum annos filii ære alieno corrupti, ejuſve magnitudine obruti facile inquirebant §. *penult. inſt. quod cum eo*, *j. l.* 40. *de condict. indeb.*, tum demum publicæ ſalutis, utilitatiſve tuendæ cauſa, ne videlicet peccandi materies malis moribus præſtaretur *d. l.* 1. *h. tit.*; at privata conventio coërcitionem publico bono inductam

ctam eludere nequit *l.* 7. §. 14. *l.* 27. §. 4. *de pact. l.* 20. *de relig. & ſumt. fun.*. Ad hæc
2 non leve argumentum a Senatuſconſulto Vellejano duci videtur; nam etſi Vellejani exceptio mulieris intercedentis gratia comparata eſt *d. l.* 40., exceptis tamen duabus cauſis, tutela nempe liberorum a matre, aut avia ſuſcepta *auth. matri, aut aviæ Cod. quando mul. tut.*, & caſu, quo mulier pro eo, pro quo interceſſit, parata ſit judicium accipere ejus liberandi cauſa juxta *l. ult.* §. *penult. ad Senatuſconſ. Vellejan.*, quarum alioqui propria, ac peculiaris ratio eſt, mulierem ejus Senatuſconſulti auxilio renunciantem, quamvis de jure ſibi competenti, & vi Senatuſconſulti probe edocta ſit, non magis tamen obligari, quam ſi abſque renunciatione interceſſiſſet, diſſentientibus licet quamplurimis, quorum ſententia Tribunalium uſu recepta eſt, verius exiſtimarunt, & ſolidioribus rationum momentis demonſtrarunt *Vinn. ſelect. quæſt. lib.* 10. *cap.* 48. *Bartolus*, *Alciat.*, *Gomeſ.*, & præ cæteris *Averanius lib.* 1. *cap.* 2.; Conſequens omnino eſt multominus filiumfamilias exceptioni Senatuſconſulti Macedoniani renunciantem obſtringi, quum iſthæc exceptio ejus cauſa neutiquam fuerit introducta *d. l.* 40.; Adde inſuper, quod hac admiſſa renunciatione facile admodum

foret

foret Senatusconſulto fraudem facere, quum creditori pronum ſemper futurum eſſet renunciationem impetrare a filioſ., qui ab ipſo
nummos habere vellet. Igitur a propoſito 3
omnino aliena eſt regula alioqui certiſſima quemlibet juri pro ſe introducto renunciare poſſe *l. penult. Cod. de pact.*; nam hic renunciaret filiusfamilias juri non ſuo, ſed publico, paternoque, cui renunciare non poteſt *cit. ll.*, Atque hæc ratio adeo animum meum trahit, ut quamquam jurisjurandi religione firmata renunciatio fuerit, nihilota- 4
men eam robuſtiorem fieri exiſtimem; quippe juramentum ſequitur naturam actus, cui apponitur, eodemque, quo actus principalis laborat, inficitur vitio *arg. l. 5. Cod. de legibus l. ult. Cod. de non num. pec.*, quod tamen ita verum eſt Jure Civili: num & Canonum jure idem obtineat, parumper dubia res eſt, eo quod tanta eſt eo jure Sacramenti religio, ut, ne quidpiam illi detrahatur, inutilis quandoque circuitus adprobetur *c. 6. extra de uſuris*. At quoties juramentum occaſionem delinquendi juranti ſuppeditare, aut alicui tertio perniciosum eſſe poteſt, vix auſim aſſerere ullam ex eo obligationem induci, qua is, qui juravit, obſtringatur *arg. C. 28. de jurejur.*, *cap. 58. de reg. jur. in 6.*; nec enim jurisjurandi religio

ini-

iniquitatis vinculum, ac luxuriæ inſtrumentum eſſe debet, eo vel maxime quod publica diſciplina, & auctoritas ferre neſcit, ut per jurisjurandi interpoſitionem (ſicque privatorum unius facilitate, alterius vero calliditate) fieri valeat, ut id confirmetur, quod ob communem utilitatem vetitum reperitur, adeoque renunciationem haud obfuturam, quominus tum filius, tum pater Senatusconſulti exceptione utatur. Cæterum Jure noſtro regio, quo libere gloriamur, & utimur, ſupervacuum foret de hac re diſputare; nam diſerte per vim, & metum ea negotia declarantur extorta, quibus jusjurandum acceſſerit *lib.* 5. *reg. conſt. tit.* 13. §. *pen.*

F I N I S.

Imprimatur. Vicarius Generalis S. Officii Taurini.

V. Allemandi P. ac R.

Se ne permette la Stampa. Morozzo per la Gran Cancelleria.

Digitized by Google